Pe' Fratelli Vitaldi

& 18 Tomi due

IO. GEORGII ROEDERERI

MED. ET PHIL. DOCTORIS, ARCHIATRI REGII, MEDICINAE, ANATOMIAE, CHIRVRGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESS. P. O. IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA, PRINCIPATVS GOETTING. PHYSICI, SOC. REG. SCIENT. GOETTINGENS. ACAD. IMPER. SCIENT. PETROPOLITANAE, SOC. REG. SCIENT. SVECIC. ACAD. REG. CHIRVRG. PARISIN. SOC. REG. TEVTON. GOETTING. SODALIS, COLLEG. CHIRVRG. GOETTING. PRAESIDIS

OPVSCVLA MEDICA

SPARSIM PRIVS EDITA
NVNC DEMVM
COLLECTA AVCTA ET RECVSA

Da' Grotti TOM. I. PARS II. Araldi

CVM ELOGIO
ABRAHAMI GOTTHELFF KAESTNER

MATH. ET PHYS. P. P. O. SOC. REG. SCIENT. GOETTING. ACADD. REG. SCIENT. SVEC. ET PRVSS. SOC. ELECT. SCIENT. VTIL. ERFORD. ACADD. BEROLINENS. ET AVGVSTAE PERVSINAE, SOCC. THEOT. ET LIBB. ART. LIPSIENS. LATINAE ET THEOT. IENENS. SODALIS, SOC. REG. THEOT. GOETTING. SENIORIS.

IN CONSESSV SOCIETATIS REGIAE SCIENT. RECITATO.

GOETTINGAE
APVD VICTORINVM BOSSIGELIVM
MDCCLXIV.


WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

ELOGIVM

IO. GEORGII ROEDERERI

MED. ET PHILOS. DOCTORIS ARCHIATRI REGII MEDICINAE CHIRVRGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSORIS IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA PRINCIPATVS GOTTINGENSIS PHYSICI SOC. REG. SCIENT. GOTTINGENSIS ACAD. IMPER. SCIENT. PETROPOLITANAE SOC. REG. SCIENT. SVECICAE ACADEMIAE R. CHIRVRGOR. PARISINAE SOC. REG. TEVTON. GOTTINGENS. SODALIS COLLEGII CHIRVRGOR. GOTTINGENS.

PRAESIDIS

IN CONSESSV

SOC. SCIENT. GOTTINGENSIS

D. XVIII FEBR. CIϽIϽCCLXIIII

RECITAVIT

ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER

MATH. ET PHYS. P. P. O. SOC. R. SC. GOTTING. ACADD. REG. SC. SVEC. ET PRVSS. SOC. ELECT. SCIENT. VTIL. ERFORDINAE ACADD. BONONIENSIS ET AVGVSTAE PERVSINAE SOCC. THEOT. ET LIBB. ART. LIPSIENSIVM LATINAE ET THEOT. IENENSIVM SODALIS SOC. REG. THEOTISCAE GOTTINGENSIS SENIOR



Roedereri memoriam recolendam mihi sumsi auditores, facturus quod is ipse iusserat, cum proximo anno de Mayeri vita disserentem audiuisset. Et hoc quidem officium vix serio tunc vel impositum est, vel receptum. Sed quando illius praestandi tempus, citius multo venit quam metuere tunc cum aliqua ratione poteramus, liceat vel hanc cuius exitum tam propinquum futurum non crediderat, amici voluntatem, sanctam esse mihi, tot coniunctorum funeribus edocto, illam mihi sortem datam esse, quam cupresso Phoebus dederat, vt lugeam et dolentibus adsim.

Ab origine Roedereri, quoniam ita moris est, initium facturo, certare de illa mihi



videntur, duae maximae gentes, nostra, et quam nimium nostrae vicinam, iam non amplius Rhenus separat. Argentorati enim in lucem editum, Gallogermanum forte non iniuria dixeris, neque dedecori hoc nomen sit illi, qui virtutes vtriusque populi coniunxit, animi quidem probitatem eius populi cum quo olim libertate fruebatur patria, ingenii autem alacritatem alterius, cum quo ea iam regi obedit.

Parentum, honestatem et opes, ego quidem, in laudibus eruditi non magis posuerim, quam alia quae non fecit ipse, nisi, vt noster, adiiciat hoc de suo, vt ostendat, agnoscere se, non coecam sortem, obiecisse sibi haec bona, sed prouidentiam diuinam quo recte illis vtatur dedisse. Sic ad ipsius Roedereri honorem pertinet nominare quibus illum debemus; Patrem habuit Io. Fridericum, inclytum lapidum pretiosorum negociatione, quae quidem, non sine magno ingenii acumine multaque peritia, et fere cum hominibus summo loco positis, ipsisque principibus

exer-

exercetur; fuerunt eius in ciuitate consiliis regenda partes aliquae, Senatui maiori adscripti. Matris Mariae Vrsulae gentilitium nomen, Froereisenium, iis qui Theologos celebriores norunt, ignotum esse non potest. (*) His parentibus, a diuorum hominumque patre die 15. Maii anno huius saeculi vicesimo sexto concreditus est. Pueri gymnasio traditi ea fuit tum ingenii felicitas tum industria, vt quatuordecim annorum ephebus in bonarum litterarum vniuersitatem quae patriam illustrat reciperetur. Hic, didicisse illa quae vel cuiuis eruditorum vsui ornamentoque esse creduntur, vel ad artem salutarem cui se dederat inprimis pertinent, non est quod longius recenseam, graecae vero linguae, quam quidem ignorare medico turpe est, eam etiam qua antiquior sacri codicis pars scripta est iunxisse, et theologicas scholas frequentasse, id silentio non praetereundum censeo, si forte, qui in arte quam professus est imitandum sibi propo-

(*) Erat filia Io. Leonh. Froereisenii ad S. Thomam Canonici et Nicolaitani christianor. gregis pastoris.



nunt, vellent et hac in re exemplum ab eo ſumere. Academicis ſtudiis coronidem impoſuit Lutetiae Pariſiorum, et iter eruditum per Angliam, Bataviam, Germaniam inſtituit, in quo, poſtquam a maximis viris profecerat, ſenſit tamen Gottingae adhuc ab Hallero doceri ſe poſſe. Summis quos vocant in arte medica honoribus, aut ornatum iam e patria abiiſſe, aut ſaltim, reducem ex hoc itinere carere illis amplius noluiſſe, iurabunt, qui tribus annis, in academia quadam non omnino male collocatis, ſatis caro emi hos honores exiſtimant. Hi vero ſciant, patriae redditum, chirurgicae adhuc artis, et obſtetriciae ſcholas frequentaſſe, et decennio in addiſcenda arte ſalutari, ita vt dixi conſumpto, demum ad doctoris titulum adſpiraſſe, quem quinquageſimo ſaeculi anno conſequutus eſt, mereri ſe illum, diſſertatione de Fetu perfecto edita, et habita de Variolis morbo nouo, oratione, oſtendens. Scilicet iam tunc, cum primum facultatem, quae didicerat ad ſalutem humanam transferendi, conſequebatur,

polli-

polliceri visus est, non saltim adultioribus aegris operam suam se destinasse, sed debituros etiam illi qui post eum et post nos superstites futuri sunt, haec duo, alterum vt incolumes in lucem prodeant, alterum, vt veneno non nocituro variolarum, arte administrato, a naturali earum, eaque perniciosissima peste, tuti reddantur.

Iam patriae inseruire opera sua incipiebat, sed Hallero talis iudicatus fuerat, qui Gottingam ornare posset, et conditiones, vt patriam obliuisceretur effecturas, offerebat liberalis prouidentia, Eius, quem omnes optamus vt quam diutissime adhuc Georgia Augusta colat, praesentem conspicuumque tutelarem genium. Huc ergo, sub finem anni quinquagesimi primi, extraordinarius Anatomiae, Chirurgiae, artisque obstetriciae professor migrauit, ordinariis Professoribus anno quinquagesimo quarto adscriptus et post Archiatri Regii elogio ornatus. (*) Datum antea iam erat ipsi munus, (**) in principatu Gottingensi, de iis

respon-

(*) 1759. *Gött. gel. Anz.* 111. *St.* (**) 1756.

refpondendi quae vel ad publicam curam valetudinis ciuium pertinent, vel ad iudices in cauffis forenfibus quarum hiftoria a medico fcribi debet docendos, *Phyficum Prouincialem* vocamus cui id munus datur, nomine ex barbaris faeculis adhuc fuperftite; illis enim, inter alios infignes errores et hicvigebat, quem noftra tempora multo fapientiora ex animis hominum eiecerunt, medicum fine naturae cognitione effe non poffe.

Dum in iis fum quibus Gottinga effecit, vt ad illam acceffiffe Roedererum non poeniteret, eius boni admoneor, cui nullum eorum quibus homines frui poffunt comparandum cenferem, fi aut magis tuta effet illius poffeffio, aut doloris cum amittitur minor acerbitas. Intelligitis auditores, nam et vobis mollia effe pectora crediderim, de illo conforτio me loqui, fine quo, vel recens creatum virum, non diu effe voluit vniuerfi auctor. Et nofter quidem, anno poftquam hic fedem fixerat, cum Elifabetha Clara, Wahlii, inter ICtos qui Gottingam ornarunt illuftris filia, iniit hoc

con-

consortium, solum breuitate temporis quo durauit infelix, nam sex annis post ereptam luxit. Superfuerunt viduo amoris pignora filiae duae, et illae, merito in se conuerti totum patris adfectum, virtutibus quae in aetatem sexumque illarum cadunt omnibus comprobarunt.

Non vero vnica doctoris academici eruditi, subtilis, et diserti, medicique felicis, laude Roedererus florebat, sed talis iudicabatur, cuius ingenio possent scientiarum limites extendi. Igitur nostra scientiarum societas, sodalem cooptauit, extraordinarium, et quam primum secessu cel. Hollmanni locus vacaret in classe physica, ordinarium, Holmiensis, (†) et chirurgorum Parisina, (*) suum etiam esse voluerunt. Imperialis autem Academia Petropolitana, quae sodalis titulum, e Russia abeuntibus relinquit, ceterum exteris rarius tribuit, nostrum singulari quadam ex caussa,

(†) *G. g. A.* 1757. 63. *St.* (*) *G. g. A.* 1760. 48. *St.*



caussa, et quae multum faciat ad Roedereri honorem hoc elogio decorauit. Praemium annuum academia proposuerat disquisitioni de monstrorum origine, imaginationi matris aliquid se hic tribuere fassa, iis tamen qui certare vellent ipsam suam sententiam impugnandi libertatem relinquens; Dedit igitur praemium (*) scripto eorum quae suam sententiam tuerentur optimo, Krausii iam Prof. Lipsiensis. Roedererus contra, imaginationis vim ad monstrorum fabricam nullam esse, argumentis anatomico, iisdemque vero philosopho dignis, demonstrauerat (**). Caussam quae sibi placeret, victricem esse voluit Academia, inter scriptores tamen victum sibi magis placere, sodalem recipiens declararuit (***).

In commentariis nostrae societatis, haec edita sunt Roedereri: Sermo de mola, de communi-

(*) *d. 6. Sept. 1756.*

(**) Vtriusque scripti recensionem v. *G. g. Anz. 1757. 30. St.*

(***) *Gött. g. Anz. 1756. 145. St*

municatione vteri et placentae, de pondere et longitudine recens natorum, fetus parasitici descriptio. Quibus non saltim naturae historiam auxit, sed et caussas euentuum rimatus est. Vbi accidit illi, vt antiquorum quasdam sententias, quas euertisse recentiores inuentis suis putauerant, renouandas existimaret, sed ita tamen vt vel parum firmatas nouis argumentis fulciret, vel emendatiores sisteret. Quale est: molam fieri, cum embryo lentius quam pro placentae incremento contingere deberet augetur, dumque editur ouum hoc deforme, minutus embryo cum sanguine fere effluit, sicque oculis se subducit, aut compressus vitiatur, vt agnosci nequeat (*). In ortu animalium explicando, propendebat etiam noster ad antiquorum opinionem, a seminibus commixtis eum repetendum esse. Addebat tamen, seminibus vires dare potuisse creatorem, quibus ea commixta, organicum corpus, illis vnde prodierunt simile, forment. His viribus eodem iure physicum vti posse,

 quo

(*) Comm. soc. sc. Gott. T. II. p. 358.

quo grauitate, adhaesione, electricitate, vtitur, quarum caussa aeque nos latet, adeoque *plasticae* vis nomen hoc sensu acceptum, postliminio reduci in philosophiam posse, vt attractio reducta est, cuius species quaedam plasticam illam vim constituere possit. Zoologiae inprimis multa accessere, vltimis, et in commentariis qui editi sunt non reperiundis, Roedereri laboribus, plura adhuc accessura erant, si in Anatomia comparata perficere quae inceperat licuisset. Quam vero in societate nostra legit historiam noui cuiusdam et a nemine obseruati vermium intestina humana incolentium generis, trichurides a caudae figura vocauit, illa effecit, vt nomen suum, naturae scrutatoribus proximum a Trembleii, polyporum inuentoris nomine celebretur (*).

Plura quae cum eruditis communicauit, iam in opusculis prodeunt, quorum editionem ipse instituerat, nescius posthuma futura. Sed catalogum operum alio tempore legatis malo, iam

(**) *Gött. gel. Anz. 1761, 25. St.*

iam vtinam liceret mihi ſatis feliciter, Roedereri ingenium deſcribere, vnde qualia ſint haec opera ipſi iudicare poſſitis. In obſeruandi arte quae palmaria eſt medici, ſummus erat, gratuſque, Hallerum praeceptorem in illa ſuum nominabat. Videbat igitur tum in aegris tum in cadaueribus, quae effugerent oculos, aut hebetiores aut minus exercitatos, viſis vero magno et felici cum acumine vtebatur. Philoſophos a reliquis hominibus non eo differre, quod alias res videant, ſed quod videant alio modo, acute, et vere vt pleraque dixit Leibnitius. Illo philoſophico videndi modo inprimis pollebat Roedererus, phaenomena obſeruatore oculo ſed quem genius inuentor regeret luſtrans.

Eius genii opiferi excellentiam raro intelligebant, qui magnitudinem auxilii ab illo accepti ſentire tantum poterant, pene vt in celebri illa Fenelonii fabula, neſciebat Vlyſſis filius, Deam comitem eſſe cui tot beneficia deberet. Sed nos, cum de phaenomenorum cauſſis diſ-



ſerentem, aut praedicentem euentura, aut ex obſeruatis, leges generales condentem, audiebamus, morborum vero vim, non conſuetis remediis vtcunque minuere, ſed noua et quam probaret ſucceſſus audacia frangere videbamus, ſublimius quidpiam eſſe in viro, iis duabus rebus, quibus agnoſcuntur coelitus demiſſi ad opem hominibus ferendam, genii, fulgore, et potentia, agnoſcebamus.

Poſt haec non leue iudicabitis auditores, ſi addam, cum vere eſſet philoſophus Roedererus, hoc nomine honoris cauſſa compellare illum voluiſſe ordinem philoſophorum academiae noſtrae, eumque hoc nomen honori ſibi duxiſſe. Cautum eſt, litterariae ciuitatis in qua ego natus ſum legibus, vt ad facultatem quam gratioſam vocant, aditus nulli pateat, niſi philoſophiam et artes liberales docendi ius conſequuto; ea re, vt audiui a praeceptore quodam meo, admonentur medici, ne ad artem ſuam ſine philoſophia accedant, rectius adhuc facturi, ſi cum Roederero, totam ſuam artem, philoſophiam corporis humani, eiusque animati, efficiant.

Vix

Vix poteſt egregius eſſe naturae ſcrutator, et pulcherrima creatoris opera, perpetuo ante oculos poſita habere, qui ad artium naturae imitatricium pulcritudinem hebes ſit. Roedererus certe, de iis omnibus quae ad ornatum elegantiamque pertinent, ſcite iudicabat, pictura inprimis et poeſi, idoneus vtriuſque arbiter, capiebatur, de ſuis ſcientiis, ita diſſerebat, vt et doceret auditores, et delectaret. Hoc, vt teſtatum faceret, ſeueriora ſtudia tractantes humanioribus debere, vltimo, et omnibus quos dixi honoribus auctus, accedere voluit ad ſocietatem quae Gottingae excolendis patriis litteris occupatur, habetque in tanti viri erga ſe adfectu ſocietas, quod opponat impotenti aliorum odio.

Talis Roedererus placere vel iis poterat, quibus docendo aut medendo, non prodeſſet. Quod ne exiguum credatis auditores, magni momenti fuit, cum gallico praeſidio premeremur, noſtroque magiſtratus academicus bis continuaretur, et, nullo adhuc exemplo, ex ſemeſtri ſeſquiennis fieret



ret (*) quoniam facundia, et dotibus quaecunque placent genti elegantiarum ac vrbanitatis magiſtrae, plurimum effecturus apud illam iudicabatur.

Vtinam hoc ſolo probaſſet ſe ciuibus olim ſuis, neque medicus etiam illis innotuiſſet. Haberemus, vel Roedererum ipſum, vel, ſi maturus erat coelo qui nondum ſatis vixerat terris, certe cineres eius. Multum reluctantem, repetitae preces Lutetias Pariſiorum vocabant, vt a quo ſolo fere ſperaret auxilium, femina nobilis morbo grauiſſimo decumbens. Iam, qui nihil magnificentius nouit antiquorum commentis, Aeſculapium mihi nominabit, a Romanis Epidauro accerſitum: ego ibi video gentem ſemibarbaram, oraculi et ſomnii fide, neſcio quod peregrinum numen aduehentem; hic, cultiſſimum populum, ad quem artis ſalutaris addiſcendae cupidi, ex omni Europa confluunt, medicum ad ſe vocantem, qui cum Gallus manere potuiſſet, Germanus eſſe maluit.

Itineris

(*) Inde a d. 3. Iul. 1760. ad 2. Ian, 1762.

Itineris circa aequinoctium vernum instituti molestias, non tulit corpus, ante iam extenuatum. Nam inde ab aliquot annis, et aeger aliquoties lecto decubuerat, et saepius sub vesperam, febriculae accessus fessa demum membra relinquentis experiebatur. Hinc legere, meditari, scribere, vix nisi matutinis horis poterat, nam diem aegris et discipulis tribuebat, quod sequitur tempus, amicorum, raro sine aliquod doctrinae augmento ab ipso discedentium colloquiis. Ego quidem, hac occasione illo fruendi, ob negocia mea, multo parcius vsus sum, quam vel optassem vel ipse lubens permisisset, nam: amauit nos quoque Daphnis. Sed tamen fructus quem vna illarum vesperarum ex colloquiis eius percepi, participes vos reddam auditores. Referebam illi, b. Mayerum, qui dum decumbebat, parum aut vt rectius dicam, nihil omnino, arti salutari tribuere. Tunc vero, mathematicum ea sola re peccare pronunciabat medicus, quod arti applicaret, quae recte esset de artificibus dicturus.



Hoc vitae genere, ſperabat noſter, cum paucis antequam abiret diebus me inuiſeret, vitam ſe adhuc aliquot annos protracturum, cuius filum lucubrationes cito eſſent abruptu-rae. Iudicate auditores, quantus fuerit, qui vbi cum tot negociis, cum morbis, aliorum et ſuis conflictaretur, non noctes ſtudiis tribuit, ſed ſcientias ita auxit, breui illo tempore, quod fluit inter ortum diei et negocia diurna. Et agnoſcas fere in ſcriptis viri, lumen, ad quod elaborata ſunt, non triſte et debile lucernae, ſed laetum et viuidum aurorae.

Cum quae retuli mihi diceret, neſciebat adhuc inſtare iter omni lucubratione perniciofius. Argentorati ſubſiſtere coegit febris, indies ingraueſcens. Aduocati medici, quales Roedererum nobis dederant, et illos, credibile eſt, quantumcunque in illis eſſet, vel hanc vnicam ob cauſſam, vt ſeruarent hoc ſcholae ſuae decus, exſeruiſſe. Vehementiam morbi, quam plures aeque potuerunt ſentire, hic non deſcribam: Praeter illam, Roedereri animum iudicabitis multa excruciaſſe,

vt:

vt: ab iis cum quibus longa conſuetudo iunxerat, abſentem in perpetuum ſeparari, in medio gloriae curſu ſiſti; ſed inter haec, ſi recte virum noui, acerbiſſimum fuit, quod pater ſenſit: De illo vero, cum vt vellem loqui non poſſim, ſilentio me id oportet vt pictor olim graecus velo fecit, tegere. Hoc vnicum lenimen habuit, quod fratres et ſanguine iuncti amplecterentur, et quo magis amicus et neceſſarius Roedererо nullus fuit, ſodalis noſter Buettnerus, V. Cl. Horum inter planctus, nocte quae quartum Aprilis ſequeretur, animam reddidit ei, quem reſurrectione ſua, Victorem mortis, veraeque vitae adſertorem, illis diebus adorabamus. Luxit Academia patria, et tenet iam natale ſolum corpus quod dederat. Nos, non inuideamus a febre continua liberato, nam talem eſſe vitam humanam, erat vna ex aliorum, quas ipſe probaret ſententiis, et, ſi experimur, artem ſalutarem, in qua tot ſaeculis, tot ſumma ingenia laborauerunt, neque mediocriter theoriam illius perfecerunt, tamen adeo parum ſecure et ex votis



hominum administrari, vt ne quidem maximis sui magistris multum prosit, intelligamus: Deum solum statuere, quamdiu in hac terra opera nostra qualicunque in exsequendis consiliis suis vti velit, nostrum vero esse, vt, velut auocandi a statione sua milites, et parati semper, et alacres ad obediendum reperiamur.



ROE-

ROEDERERI SCRIPTA
SEORSIM EDITA

Programmata.

1.
De axi peluis. Gottingae d. 16. Dec. 1751
2) *Obseru. medicarum de suffocatis satura. Gott. 1753.*
3) *Obseruationes de Genitalibus virorum, ad Dissert. D. Grund. Gott. Febr. 1758.*
4) *Obseru. de Cadaueribus infantum morbosis, ad Diss. D. Weber. Gott. Mart. 1758.*
5) *Obseruationes de Foetu ad Diss. D. Iesaiae Iudae. Gotting. April. 1758.*
6) *Obseru. de Animalium calore, ad Diss. D. Grimm. Gott. 1758.*
7) *Obseruat. de Vlceribus vtero molestis, ad anniuersarium. Gott. Sept. 1758.*
8) *Obseru. de Cerebro, ad Diss. D. Vllmann. Gott. Sept. 1758.*
9) *Obseru. de Ossium vitiis, ad Diss. D. Bruno. Gott. Mart. 1760.*
10) *Animaduersiones de Taenia, ad Diss. D. Trampel. Gott. Mart. 1760.*
11) *Animaduers. de Arcubus tendineis musculorum originibus ad Diss. D. Stein. Gott. Mart. 1760.*
12) *Continuatio animadu. de Arcubus teudineis etc. ad ad Diss. D. Iansen. Gott. Iun. 1760.*
13) *Obseru. de Morsu canis rabidi sanato, ad Diss. D. Dahl. Gott. August. 1760.*



14) *Animadu. de Febre ex intermittente continua ad anniuersar. Gott. Sept. 1760.*
15) *Obseru. de infantibus in partu suffocatis, ad Diss. D. Koerber Gott. Octobr. 1760.*
16) *Obs. de submersis aqua, ad Diss. D. Meder. Gott. Nou. 1760.*
17) *Obseru. de Phthisi infantum neruosa, ad Diss. D. Hempel. Gott. Mart. 1762.*
18) *Obs. de Cerebri scirrho, ad Diss. D. Wendt. Gott. Iun. 1762.*
19) *Obseru. de Hydrope ouarii, ad Diss. D. Papen. Iul. 1762.*
20) *Oratio de Artis obstetriciae praestantia. Gott. Dec. 1751.*

Dissertationes

a) *Quae totae a illo factae sunt.*

21) *Theses medicae sub Praesidio Eisenmanni Argentorati Mart. 1750*
22) *De Foetu perfecto pro gradu Doctoris. Argent. Maj. 1750.*
23) *De Ictero, illoque speciatim, quo infantes recens nati laborant. Gott. April. 1753.*
24) *De Vteri scirrho. Gott. Aug. 1755.*
25) *Nonnulla motus muscularis momenta. Gott. Octobr. 1755.*
26) *De vi imaginationis in foetum negata, quando grauidae mens a causa quacunque violentiore commouetur, publici juris facta Petropoli. 1756.*
27) *Vtrum naturalibus praestent variolae artificiales. Gott. Iun. 1757.*
28) *De temporum in grauiditate et partu aestimatione. Gott. Sept. 1757.*
29) *De secretione. Gott. Febr. 1758.*
30) *De non damnando vsu perforatorii in paragomphosi ob capitis molem. Gott. 1758.*

31) *De*

31) *De Partu laborioso. Gott. Sept. 1760.*

Cuius vnica autem solummodo obseruatio typis expressa est respondente D. Muller.

b) *Quae illo non plane autore, sed suasore et moderatore enatae sunt.*

32) *De partu praeternaturali, quem sine matris aut foetus sectione absoluere non licet operatori. Gott. Nou. 1755.*

33) *De Funiculi vmbilicalis deligatione non absolute necessaria. Gott. Nou. 1756.*

34) *De signis foetus viui et mortui. Gott. Mart. 1756.*

35 *De Caussis necessario mortem in partu inferentibus. Gott. Nou. 1756.*

36) *De Versionis in extrahendo partu praestantia et adminiculis. Gott. April. 1757.*

37) *De signorum grauiditatis aestimatione. Gott. Mart. 1760.*

38) *Tentaminum et obseruationum de morbo varioloso satura. Gott. Iun. 1762.*

39) *De Morbo mucoso. Gott. Dec. 1762.*

Opera.

40) *Elementa artis obstetriciae. Gott. 1753. 8. Denuo aucta edita ibidem 1759.*

41) *Obseruationum medicarum de Partu laborioso decades duae. Cott. 1756. 4.*

42 *Icones vteri humani. Gott. 1759. Fol. Alter fasciculus s. actuarium dicas, iam aeri insculptus est.*

43) *Opusculorum medicorum Tomi 2. Gott. 1763. Complexi minora scripta, partim indicata. Est etiam inter ea commentarius de vi imaginationis in fetum negata, Acad. Imper. Petrop. oblatus.* Exhi-

Exhibita Soc. Reg. Scient. Gottingenſi.

De mola. 1752.

Comm. Soc. Sc. T. II. p. 354.

De communicatione vteri grauidi et placentae. 1753.

T. III. p. 397.

De pondere et longitudine infantum recens natorum. 1754.

Ibid. p. 410.

Fetus paraſitici deſcriptio 1754.

T. IIII. p. 136.

Sequentia, ob interruptam commentariorum editionem nondum prodierunt.

Monſtri deſcriptio 1755.

G. g. A. 1755. 58. St.

Abdomen et cerebrum vrſi deſcripta 1755.

G. g. A. 1755. 123. St.

Capitis vitulini monſtroſi deſcriptio 1756.

Gött. gel. Anz. 1756. 58. St.

Vrſi anatome anni praecedentis continuata.

Renis ſingularis ex duplici deſcriptio.

Monſtrum ouinum ſex pedum 1750.

G. g. A. 1756. 152 St.

Inoculatio variolarum Gottingae inſtituta impenſis Soc. Reg. Scient. et lecta diſſertatio de variolar. inoculatione 1755.

G. g. A. 1757. 20 St. 137 St.

Trichuridum, vermium in hominis inteſtinis ante non obſeruatorum deſcriptio 1761.

G. g. A. 1761. 25 St.

Faſciola truttae inteſtinalis et muris hepatica. 1762.


G. g. A. 1762. 61 St.

De acubus, ventriculis, anſerino et gallinaceo ſine noxa infixis. 1763.

G. g. A. 1763.

CON-



CONSPECTVS ALTER.

XIX.



DEMONSTRATIONES ANATOMICAS

RELIQVASQVE LECTIONES

SEMESTRI BRUMALI

MDCCLIV-MDCCLV.

HABENDAS

INDICIT

ET

OBSERVATIONUM MEDICARVM

DE

SUFFOCATIS SATURAM


ADDIT


I. G. R.

AUR. CORN. CELSI

de Medicina Lib. II. Cap. VI. ſub fin.

Conjecturalem artem eſſe medicinam, *ait:* rationemque conjecturæ talem eſſe, ut cum ſæpius aliquando reſponderit, interdum tamen fallat. —— In vicino ſæpe quædam notæ poſitæ, non bonos, ſed imperitos medicos decipiunt, nec protinus crimen artis eſt, ſi quod profeſſoris ſit. —— Sed eſt tamen medicinæ fides, quæ multo ſæpius, perque multo plures ægros prodeſt.





OBSERVATIONUM MEDICARUM DE SUFFOCATIS SATURA.

I.

Puella in aqua submersa.

Popularis Medicorum opinio est, foraminis ovalis aperturam submersorum suffocationi prævertere *(a)*, quam vero sententiam experientia convellit. Superior annus cum ad finem properaret, undæque omnem nostri campi ambitum obruerent, puella ex equo delapsa in torrente suffocatur. Secandum cadaver mihi traditur, in quo *foraminis ovalis valvulam* albicantem invenio, ad lumen pellucidam, multoque, ac reliqua septi substantia, tenuiorem, totam, sine musculari fibra, membranaceam, cum copiosis fibris intextis, figura tendineis & reticulatis, ambitu ovali terminatam, amplitudine sua illam quæ in fetu est insigniter excedentem, arctiusque in sinu dextro cum limbo, qui minus ac in fetu eminet, concretam. Sed similia in plerisque adultorum cadaveribus observari solent. Viam autem ad hujus valvulæ alterum extremum ex sinu dextro in sinistrum patulam fuisse memorabile est. Duo enim, ceu in fetu notatur, cornicula, in sinuum septum inserta, exigit, quæ medium hiatum intercipiunt. Ita tamen iste hiatus comparatus est, ut, si omnia sibi permittantur, positusque naturalis non vitietur, totum septi foramen a valvula claudatur. Medio autem in loco val-

 vula

(a) *Conf. Ill.* HALLER. *Prælect. Bœrhav. T. V. P. II. p. 472. add. T. II. p. 222.*

vula inter cornua elevari, hocque pacto canalis, qui ex dextro in sinistrum sinum tendit, diduci potest. Qua valvula limbum in dextro sinu contegit, limbi pars magis ac reliqua, quæ cum valvula coaluit, turget. Ad duarum autem linearum a limbo in sinistrum sinum latitudinem valvulæ pars inter cornua septum contegit. Pars aperti hiatus superior quinque ab inferiore lineas distat. Modicus adeo inter dextrum sinistrumque sinum hiatus sanguinis portiunculam ex dextro in sinistrum sinum sine pulmonari circulo derivare potuisset, nisi perpetua sinus sinistri & simultanea cum dextro repletio appressam perpetim limbo valvulam servasset. Nullam adeo iste hiatus in aquam demersæ filiæ opem ferre potuit, quæ eam saltem a suffocatione defenderet.

Sanguinis autem a suffocatione *in venis congestio* quamvis nunquam desit, in dicta tamen puella succorum sanguinisque, dum viveret, plenissima adeo insignis fuit, vt non solum maiora vasa & a corde propingua sanguine summopere turserint, sed & minimi rami farti penitus fuerint: hinc rubens, quasi ophthalmia laboraret, vel ceracea materia optime nutrita foret, oculi albuginea: hinc fartæ adeo, quæ e musculis sese corripiunt, venæ, ut, dum musculi præparentur, incisæ sanguinis tantam, quæ vel ipsam musculorum præparationem nullam reddat, copiam fundant.

In *pulmonibus* suetus vivorum suffocationis in aqua effectus notabatur (*a*). Cellulares vesiculæ inflatæ & copiosæ vestientem pulmones membranam elevant. Cum inciditur pulmo aqua spumosa & sanguine tincta effluit. Homines adeo, qui vivi submersi fuerint, aquam in pulmones trahere, hæc observatio confirmat. Aquæ spumosæ nimia fere quantitas fuit, quam quæ secreto in pulmonibus liquori tribui potuerit, omnesque pulmonis lobulos replevit. Simile quid in aliis cadaveribus, aliam mortem mortuis, non observatur.

A *ventriculo* vero, quod mirum, nil aquæ, ceu utplurimum (*b*)

(*a*) *Cf. Cl. D.* EVERS *Diss. sist. Experimenta circa submersos in animalibus instituta, anno superiore conjunctiss. Collega* BRENDELIO *Præside defensa. Cap. II. S. II. §. 34.*

(*b*) fieri solet, sed copiosa massa tenacior, crassior, cinerea, quam chymum crassiorem vocare possis, comprehenditur. Nihil proinde, cum suffocaretur, aquae puella deglutivit. Rationem ex ventriculo cibis referto reddere possemus (*c*), si ulla cum chymo remixtae aquae nota fuisset. Aliam itaque addere lubet. Puellam plethoricam animi deliquiis subinde laborasse, qui eam noverant retulerunt, subitoque eam ex equo delapsam esse constitit. Puellam itaque animi deliquio correptam decidisse, vitamque cum morte sine aqua deglutita commutasse conjectare licet. Isti autem conjecturae ipse ex equo lapsus fidem facit. Rustica enim puella, annos quasi viginti nata, artuum summo robore pollens, operum agrestium usu exercita, equo vehi sueta, & isto praecipue tempore in equi lumbis pone alium rusticum, quem ut firmior sederet, manibus complectebatur, collocata sine peculiari symptomate vix decidisset.

Puellae *lapsum* in aquam *rudem* quam maxime fuisse exinde colligi potest, quod tres omnino in sinistro femore musculi disrupti fuerint; longum puta bicipitis caput, semitendinosus & semimembranosus. Horum autem musculorum propria membrana, licet illaesa manserit, ipsi tamen musculi laceri & per totam substantiam oblique a parte interna ad externam deorsum fissi sunt. Rupturae locus ob effusum sanguinem rubicundior fuit.

Aquae rubellae aliquot unciae in abdomine & notabilis copia in pericardio fluctuarunt.

2.

Ovale foramen in adultis apertum.

Liceat mihi observationi *ovalis foraminis aperti* similem aliam subjungere (*a*). Ex viro sene, qui ostiatim victum quaesivit, quemque

(*b*) *Diss. cit. Cap. II. S. I. 24.*

(*c*) *l. c. §. 30.*

(*a*) *Obss. collect.* v. HALLER. *ll. cc. add. Vir. laud. Icon. Anat. Fasc. IV. Progr. de Foram. Ovali & Valvul. Eustach. not. 11. p. 9.* WEITBRECHT *in Commentar. Petropol. Tom. IV. p. 264. Ill.* LAVR. HEI-

que superiore hyeme secui, observatio desumta est. Foraminis ovalis valvula pellucida est, multoque, ac reliqua sinus pars, tenuior. Foraminis fovea in dextro sinu una cum limbo conspicitur; in sinistro sinu albido, qui in sinus pariete rubellus est, valvula colore distinguitur. Totum, si naturalis positus immutatus manent, ovale foramen clausum est, sinuumque sepimentum cornicula tegunt. Pari autem, quo in superiore observatione, modo inter duo cornicula, quæ tres lineas distant, cum sinu valvula non cohæret, sed medium, quem elevata membrana ampliare possis, canalem relinquit. Media inter cornicula liberaque membrana septi partem tres lineas latam tegit. Integram foraminis circumferentiam limbus non munit, sed quarta ejusdem pars, quæ hiatui exadversum est, cum sinu in eodem plano continuatur. Sensim inde limbus exsurgit, eo tumidior, quo ab hiatu propior est, eoque profundior recessus fit, quem cum valvula limbus cavat. Recessus istius media pars in canalem aperitur, qui ex dextro in sinistrum sinum pervius est. Peranguista canalis, qua dexter sinus est, apertura lineam modo cum dimidia æquat, latior sensim in sinistro sinu ad tres lineas ultimo inter cornicula loco diducitur.

In utroque, ex quibus ovalia foramina aperta descripsi, canalis vere ductus arteriosus in ligamentum mutatus, suetoque more clausus fuit.

Quin tertium superiore hyeme apertum foramen ovale in puella viginti quinque annos nata reperi. Canalis inter parietem sinuum intergerinum & valvulam medius duas lineas longus est, stilumque crassum, cujus diameter lineam superat, recipit. Valvulæ cornicula tres lineas distant. Foraminis ovalis fossa, prouti superius descripta, profunda est, ipsaque valvula pari modo pellucet. Pari etiam modo arteriosus canalis in ligamentum abiit.

De-

HEISTER *in Obs. med. Helmst. 1730. Obs. V. Ext. in Collection. Hallerian. T. VI. p. 721. sq.* Cel. I. G. IANCKE *in not. ad* I. I. BRUJER. *sur l'incert. d. sign. d. l. mort. P. I. C. III.* §. 2. *not.* 2. *cf. & Commerc. Liter. Noric. Vol. VIII. p. 272. Eph. N. C. Cent. IV. Obs. CLXVI. p. 376.*

Descriptas quidem observationes eam ob caussam hoc in loco recenseo, ut aliquo saltem modo, foraminis ovalis aperturam in adultis minime infrequentem esse liqueat. Ter enim parem structuram superiore hyeme observavi, in quinque licet adultorum cadaveribus solius cordis naturam rimatus fuerim. Neque etiam quarti cordis, ex edentula vetula septuagenaria majore extracti, valvula, quod cum prioribus ipsi aliqua similitudo est, rationemque, qua foramen clauditur, optime declarat, nullam hic loci explicationem meretur.

Foraminis ovalis fossa minus ac ista superiorum observationum profunda est. In sinistro sinu cornicula, quae sex lineas distant membranaque semilunari junguntur, libera sunt. Membrana semilunaris fuetum valvulae velum est, quod sinistri sinus parietem intergerinum tegit. Istud quidem velum canalem, tres lineas longum & coecum, cujus fundus cum intergerino pariete coaluit, cum ipso isto pariete format. Similem canalem, lineam longum, idem velum cum intergerino pariete ex dextri sinus parte aperit. Inter utrumque canalem cum parietis membrana velum cohaerescit.

Prima quidem descriptarum observationum satis superque jam nos docet foraminis ovalis aperturam adultos a submersionis periculo non munire: ex collatis autem observationibus ediscere porro possumus eam isti aperturae angustiam esse, ut exiguus sanguinis rivulus, qui ex dextro in sinistrum sinum flueret, suffocationem averruncare non posset. Nulla etiam in arterioso canali clauso spes est. Quin sinuum intergerinum parietem velum, quod canalem obtendit, adeo late tegit, ut vix sanguinis totum rivulum ex dextro in sinistrum sinum penetrare verisimile sit. Quamvis enim eo momento, quo submersus pessum it, in dextro corde major, quam quidem in sinistro, sanguinis copia collecta sit, majorique adeo vi in foraminis ovalis valvulam nitatur; sinistri tamen sinus unda negligi nequit, siquidem circa minorem sanguinis undam cor sinistrum arctius contrahitur, suaque contractione sanguini cor dextrum expandenti resistit: Velum adeo inter utramque undam medium ad intergeri-

num sinuum parietem firmatur, canalis clauditur, nihilque cruoris, vel parca saltem portio, ex dextro in sinistrum sinum penetrat.

Neque etiam homines, qui sub aqua per aliquod temporis intervallum impune degere didicerunt, id beneficii ab aperto foramine ovali acceperunt (*a*). Multo sane lubentius eam prærogativam consuetudini tribuerem. A teneris enim isti exercitio assuescere debent: ita sine dubio pulmones etiam alterno motu non agitati, sed ab aëre residuo mediocriter expansi, sensim sanguinem e dextro in sinistrum cor transmittendi facultatem acquirunt. Id vero nunc ago, ut consuetudinis vim in corpus humanum euincam, quam satis evictam cognitamque esse arbitror.

3.

Laqueo suspensi.

Suspensos a vertebrarum colli luxatione fracturaque non enecari satis notum esse nostris temporibus censeo (*b*), quare huic momento immorari nolo: illud unum intelligi volo, me nunquam, quoties elisas laqueo fauces dissecui, in colli vertebris læsionem deprehendisse. An vero, quibus laqueus vitæ finem facit aëre priventur semper, vel plenaria aëris privatio, ut vita priventur, necessaria sit, quæstio est? Aeris vero via ut penitus claudatur, neque verisimile, neque necessum esse, sine difficultate probabo, quamvis, suam respirandi difficultatem symbolam etiam conferre, inficias ire nollem. Asperæ enim arteriæ ea natura est, ut tota comprimi nequeat. Integram compressionem cartilaginei annuli impediunt. Utplurimum vero, ceu observavi, laryngem ipsam laqueus stringit. Pondus enim corporis deorsum tractum, infra maxillam inferiorem in summum colli locum, qui laryngi respondet, laqueum movet.

(*a*) *Cf.* I. I. BRUIER D' ABLAINCOURT *sur l' incertitude des signes de la Mort. P. I. C. III. §. 2.*

(*b*) *Cf.* PH. C. FABRICII *Sciagraphia Historiæ Physico-Medicæ Butisbaci &c. de morte laqueo suspensorum. p. 48. sqq.*

vet. Multo autem minus ac aspera arteria larynx comprimitur (*a*); quid quod funem medio in loco inter cartilaginem thyreoidem & cricoidem, ubi mobilis est larynx & impressionis capax, magisque in puella viginti quasi annos nata & teneriore (quae observationem subministravit), firmatum vidi; tantum tamen abest, ut tota larynx compressa fuerit nullaque pro aere aperta via manserit, ut potius mutationis in larynge nota vix ulla apparuerit. Constricto etiam collo, fetus, qui ex matre nondum soluti nihil spiritus traxerunt, quandoque pereunt.

Majore cum veritatis specie praecipua mortis in ejusmodi miseris caussa non soli sanguinis per pulmones impedito circulo, sed & sufflaminato per compressas venas ex capite refluxui indeque ortae apoplexiae adscribitur (*b*). Plurima enim apoplexiae signa in cadaveribus observantur. Omnia capitis cerebrique vasa sanguine summopere turgent. Reliquae etiam corporis venae eaedemque vel minimae farciuntur. Ita in intestinis venas sanguine adeo saturas vidi, ut systema venosum de industria repletum fuisse fere juraverim, cum arteriosi trunci vacui penitus deprehenderentur. Haec utique in pulmonibus etiam insigne obstaculum denotare non negaverim. Maculae ea propter lividae hic illic in corpore conspiciuntur. Seri magna copia encephali ventriculos distendit; rubicundi etiam sanguinis globuli in istud serum effusi apparent, apoplexiam satis iudicantes. Aquae nunc rubellae, nunc pallidioris modica quantitas in abdomine, & pericardio, quin thorace, colligitur.

Non abs re erit notasse, me in suspenso quadragenario quasi, robusto, bene nutrito, pasto & poto, sexto a morte die abdomen

(*a*) *A violenta compressione cartilagines franguntur. cf.* I. NIC. WEISS *Observation. Anatom. V. Febr. 1745. n. 7. p. 14.*

(*b*) *Cf. Collegae conjunctissimi* BRENDELII *Schediasm. de Valvula Eustachiana. p. 10. Decimum est in Collectionis Hallerianae Tomo II.* PH. CONR. FABRICII *l. c.* I. I. BRUIER *l. c. C. IV. §. 2. sub fin. & P. II. C. III. Contrarium sine argumenti allato patrocinio affirmat.* W. CHESELDEN *anatomy of the human body. C. VII. p. 176.*

demum, quod festi dies paschales sectiones vetuerint, aperuisse, magnaque admiratione permotum integerrima adhuc vasa lactea & summopere turgentia, venæ licet jugulares ipsa mortis die apertæ fuerint) suetis in locis observasse. Per aliquot etiam dies in abdomine aperto quædam eorum conspicua manserunt.

In eodem cadavere ipsa mortis die, antequam de putredine cogitatio fuerit & suspicio encephali venas venamque jugularem æreis bullis, sanguinis columnas distinguentibus, ubivis locorum plenissimas vidi (*a*).

4.

Fetus in partu eliso gutture suffocatus.

Infantes in ipso partu suffocari iis, qui parturientibus inserviunt, cognitissimum est. De toto quidem argumento, qua late patet, disserere scopus vetat; quasdam vero observationes, quod ejusmodi exactius descriptæ rariores licet sint, suo tamen pro tenellis embryonibus servandis, forensisque medicinæ cognitione promovenda, usu non destituantur, accuratius describere in animum induxi. Protinus itaque de puero, quem constrictum uteri orificium procul dubio necavit, referam. Per octo omnino horas pueri caput in vagina moratum est (*). Matris perineum & reliquæ pudoris sinum quæ ambiunt carnes nimis rigidæ capitis grandioris lapsum retardarunt. Interea temporis in capite tumor excrevit, caput in oblongam sphæram compressum est, & os uteri summopere elasticum, velut laqueus quidam, pueri collum magna vi compressit. Neque valde miratus sum. Eo enim temporis momento, quo infantis caput per oris uterini aperturam penetravit, detersum penitus, ceu alias fieri solet, non fuit, sed ejusdem limbus, durus rigidusque, ad vaginæ parietem repressus, postquam caput descendit solumque collum

(*a*) *Cf.* ILL. HALLER. *Præl. Bœrhav. T. II. p. 204. sq. Comm. Lit. Nor. Vol. VI. p. 91.*

(*) *Partus describitur in Obs. Med. de partu laborioso Obs. XI.*

collum restitit, resilire, totum orificium secum trahere mollissimumque pueri collum constringere cœpit. Per quinque omnino horæ minuta prima caput, donec totus sinus dilatatus fuerit, in sinu hæsit: dilatato dein sinu, ut caput, corpusculumque protraherentur, insignis, cum operatoris defatigatione, vis adhibenda erat. Constrictum uteri orificium sine dubio restitit. Solutus a matre puer nihil vitæ, nec cordis pulsu, nec thoracis agitatione & respiratione, nec palpebrarum aliarumque partium motu probavit. Sub initium autem partus vixisse, ex capitis tumore, diaphragmatis artuumque, cum puer irritaretur, convulsione & motu, quem in utero, antequam in vaginam puer depulsus fuerit, mater sensit, rescivi.

Pueri corpusculum candidum fuit, candida facies, nullo sanguine suffusa, nullo livore notata: livida modo labia, livida zona collum cingens, nasusque pallidissimus.

Puerum in mortis agone se a meconio liberasse, effluens istud ex ano, ore naribusque, cum caput maxime comprimeretur, meconium, fœdatum pigmento viridi corpusculum, amnii liquor, qui infantem solutum insecutus est, eodem pigmento tinctus, me docuerunt. Quoniam omnis fœtor defuit, ortum a putredine pigmentum non fuit.

Ego, ut latentem forsan vitam excitarem, curavi, sueta probataque partim adminicula (*a*) adhibere, digito os eluere, nares plumula irritare, halitum ori inflare, acetum ori naribusque instillare, pedes setaceis scopis fricare, funiculum placentam trahentem non perscindere, per quinque horæ minuta placentam cum fetu perpetuam in utero relinquere, infantem dein calidis fovere, aliaque moliri. Ita quidem, ut artus aliquoties traheret, pedes cum setis lacesserentur

 ad

(*a*) *Pleraque istorum ex variis autoribus collecta sunt in* BRUIERI & EVERSII *Tractat. supra laudatis. Cf. illius P. I. Cap. IV. §. 3. & passim in toto libro. Hujus Sect. III. p. 28. add.* SMELLIE & VON HOORN *infra excitandi, & Cel.* GEO. AUG. LANGGUTH *Disp. de reddenda recens præfocatis adempta anima Wittenberg.* 1748.

ad corpusculum corriperet, decimo a partu horæ minuto diaphragma ter convelleret, collumque tremeret, effeci: sed in vitam puerum revocare frustra laboravi.

De mortis itaque caussa solicitus anatomico scrutinio corpusculum subjeci. Sectione instituta sanguinis omnem vim in thoraceni coactam & encephalo subtractam fuisse cognovi. Ex utraque caussa cum cordis motu vita perire debuit. Cuncta cordis vasa sanguine summopere distenta fuerunt, auriculæ, venæ majores, & arteriæ; magis tamen venæ, quam arteriæ, turserunt. Rescisso corde integrum thoracem sanguis inundavit. Cunctæ etiam thoracis membranæ inflammatæ splendidæque rubuerunt: thymi puta, pericardii, cordis, vasorum majorum & Pleura. Modica lymphæ copia in pericardio fluctuavit. Sinus encephali, sanguine maximam partem vacui, polyposas quasdam sanguinis concretiones rubicundas comprehenderunt. Cerebri venæ majores plexusque choroidis venæ modice repletæ fuerunt. Parciora etiam vasa rubicunda cerebri substantiam perforarunt. Nihil humoris vel sanguinis in cerebri ventriculos effusum fuit. Venosa vasa, quæ ex abdominis visceribus, intestinis v. c., omento, hepate, sanguinem revehunt, majora sola modice repleta, minimæ vero venæ totæ depletæ fuerunt. Parca sanguinis copia in maximis truncis arteriosis stagnavit; parca etiam in venosis vasis extremitatum majoribus, parcissima in similibus arteriosis, nulla autem in minoribus, sive venosis, sive arteriosis, contenta fuit: musculorum itaque pallor conspicuus erat. Orificium uteri ea vi collum complexum fuisse, quæ venas non solum jugulares, sed & arterias carotides strinxerit, concludere ex dictis nobis licet. Ita factum est, ut affluens circa cor sanguinis vis collecta, parca autem per arterias vertebrales in encephalum promota fuerit. Descendens arteria aorta sanguinis copiam, quam accepit, in placentam expulit.

An nervi etiam, intercostalis, octavus, compressi cordis motum sustulerunt? Anatome nil docet. Neque enim in descripti pueri cadavere, neque in cadaveribus laqueo suspensis istos nervos mutatos vidi. Validam etiam atque a duro corpore profectam, ut to-

ta

ta nervi actio tollatur, compressionem requiri, experimento (a) doctus sum. In cane enim vivo nervum phrenicum volsella strinxi, strictumque supra compressum locum irritavi, nullus diaphragmatis motus insecutus est. Dein eundem nervum digitis compressi, supraque compressionem lacessivi; contractum fuit diaphragma. In suspensis sine dubio fetibusque, quibus in partu collum stringitur, partes, quæ nervos ambiunt, nervos etiam perfectæ compressionis immunes servant. Ipse laqueus stringens nervos tangere nequit; musculus enim, quem sterno-mastoidem vocant, interjectus est. Neque etiam in descripti pueri cadavere, neque in cadaveribus laqueo suspensis istum musculum ruptum scissumque vidi. Solus ut plurimum in suspensis platysmamyoides læsus est vitiatusque. Ea propter autem nervorum compressionem ab omni culpa liberam esse non dixerim. In nostro saltem casu ob compressum valde elongatumque cranium cerebri etiam medullam compressam admodum fuisse dubium esse nequit. En itaque suffocationis speciem sine sanguinis in encephalo restagnatione.

Quamvis autem excitatus puer musculos commoverit, spiritum tamen non duxit: quare pulmo in vase alto: aquam continente, fundum petiit. Delapsus autem est pulmo, qui cum corde, vasis majoribus & thymo cohæsit, delapsus etiam solus & a dictis partibus resectus, quin quælibet minima pulmonum particula delapsa est. Pulmones autem in minorem molem contracti sunt, contracta pariter eorum vasa & color obscure rubicundus. Pulmones porro, cor, thymum & hepar per tres Maji mensis labentis dies, cum aër modice caleret, in aqua reliqui. Ita putredine vitiata viscera fœtebant & aquæ innatabant. Notari autem velim non solos pulmones natasse, sed cor etiam thymum & hepar. Vasa quoque cordis coronoria aëre turgebant.

Meco-

(a) *Anne idem experimentum, alternum cordis motum propter alternam nervorum inter cordis vasa compressionem fieri non posse, si vel maxime nervorum inter ista vasa decursum concederemus, comprobat?*

Meconium in ore, faucibus, œsophago & ventriculo hæsisse; ventriculum & intestina summopere contracta crassaque fuisse, colon solas meconii reliquias continuisse; rectum autem meconii fluidioris largiorem copiam; ventriculum nil præter parcissimam meconii quantitatem comprehendisse, & intestina materiam flavam, in globulos collectam, melli similem; felleam vesiculam bile plenissimam & urinariam lotio plenam fuisse; notasse non penitus infructuosum erit: neque etiam si ad tumorem capitis attentionem appellimus. Iste quidem medium ossis occipitis locum occupavit. Elatus maximam partem ab aqua albuminosa fuit, cellulosam cuti substratam distendente. Sanguinis globuli rubri cum isto sero commixti apparuerunt. Cutis quibusdam in locis livida fuit. Pericranii superficies, qua cranium est, pigmento nigro, quod cultello deradi potest, obducitur. Ossis occipitis superficies, cum particulæ pigmenti inhærentes detersæ fuerint, naturalis est, & sanguinea vasa osseas fibras distinguentia nitide apparent.

Antequam, quæ ex præcedente observatione consectaria derivari possint, exponam, similem aliam, quamlibet imperfectiorem, quod omnia momenta mihi persequi non licuerit, subjungam.

5.

Alius fetus in ipso partu denatus.

Femina triginta & duos annos nata ex partu lentiore, ad viginti & quatuor horas protracto, puellam enititur. Partus lentioris caussam ignoro. Serius enim, cum mox puella extruderetur, accedens situm fetus naturalem, modicam capitis molem, nihilque peculiaris impedimenti notavi. Obstetrix, quæ coram matre consedit, obscuro sermone culpam in pubis os dextrum conjecit. Bona quidem probaque femina, sed ingenio cognitioneque rudis

nec satis digna, cui committas primo partu mulierem (*a*). Infantem in partu demum suffocatum fuisse certum est. Sequentia ipse notavi.

Ante-

(*a*) *Terentii Andr. Act. I. Sc. IV.*

Antequam puella nasceretur larga meconii tenuioris copia e genitalibus effluxit, quem jam a pluribus inde horis effluxum se notasse testata est obstetrix. Insignis in capite tumor extitit. Natæ puellæ os hiavit. Candidum pallidumque totum corpusculum fuit; sola labia livida. Meconii copia os replevit, & e recto post partum egesta fuit. Nata puella neque os aperuit, neque, commota licet fuerit, suetum infantibus recens natis vagitum edidit. Cordis autem & funiculi umbilicalis vividum vegetumque pulsum notavi. Quamobrem, ut puellæ respirationem excitarem vitamque, omnem cum obstetrice lapidem movi. Scopulis setaceis ista pedes, & aqua frigida corpusculum fricare vinumque genitalibus aspergere: quæ vero molimina per sex omnino horæ minuta prima irrita fuerunt. Interea quidem temporis cordis pulsus substitit, sed nullus infantis musculus commotus fuit. Inde plumula nares lacessebantur, ita maxilla inferior convulsa est; naribus porro compressis halitus ori inflabatur, ita rursus convulsa maxilla est, convulsum etiam aliquoties diaphragma. Horæ quadrante elapso omnis in corde pulsus defiit, nulla amplius convulsio insecuta est, infans refriguit, riguitque.

Per omne hoc temporis intervallum placentam in utero, funemque cum puella & placenta perpetuum reliquimus.

Postridie puellæ corpusculum examino. Capitis tumor, istius ex superiore observatione similis, fontanellam dextram, inter occipitis, bregmatis, & temporum ossa mediam, occupavit. Solum vero thoracem secare mihi licuit. Non solius quidem cordis auriculæ, venæ & arteriæ sanguine, ut in superiore observatione, ita turserunt, ut nihil supra cogitari possit, sed pari etiam modo thoracis membranæ inflammatæ splendidæque rubuerunt, non aliter certe, ac si de industria minima etiam vascula repleta fuissent. Pulmones collapsi & contracti, pullo colore obscuriore distincti, molles, toti pone cor & thymum latent. Aquæ rubellæ parca copia, quam digitale comprehenderet, in pericardio fluctuavit. Pulmones, prouti in superiore observatione, toti non solum, sed & divisi aquæ fundum petierunt. Mox a partu corpusculum licet palli-

dum candicansque ubivis fuerit, postridie tamen variæ cutis regiones lividæ reddebantur; faciei puta cranijque dextrum latus, integer colli ambitus, dorsi thoracisque pars superior, inferior alia dorsi particula & extremitates inferiores.

6.

Ex descriptis observationibus consectaria.

Ex descriptis observationibus aliquot Medicæ artis momenta illustrantur.

I. Infantes artus & diaphragma motu agitasse, cor etiam pulsasse; ad respirationem autem vitamque revocatos non fuisse, pulmones itaque in aqua fundum petiisse, memorabile est. Multis, ni fallor, de infanticidio inquisitionibus forensibus ista oservatio lucem affundit. Fatentur sæpius matres, quæ partum clam ediderunt, in quas de infanticidio inquiritur & de quibus partum expositum fuisse constat: fatentur inquam, natum infantem artus hos illosve commovisse, negant autem & pervicaciter negant se ullum aliud vitæ signum notasse, vel in propria viscera sæviisse. Infantem autem sine valente vita artus commovisse & Iureconsultis & Medicis mirum ut plurimum phœnomenon videtur, & vix a se impetrare possunt, ut ejusmodi feminam ab omni violentiæ illatæ culpa absolvant. Similem autem motum nihil pro constante, quæque mox sine violentia non finiatur, vita probare dictæ observationes, in quarum posteriore vel ipse cordis pulsus superfuit, demonstrant. Certissime potius liquet, fetum, ante partum qui vixit, in ipso partu quandoque ita suffocari, ut mox a partu quædam ultimæ vitæ minimæque reliquiæ supersint, quæ vero, ut ultimi ignis consumto nutrimento fumus, in flammam vegetamque cum respiratione vitam restitui nequeunt. Quaecunque etiam descriptos infantes necauerint caussae perinde est: in partu eos suffocatos fuisse nobis sufficit. Earundem caussarum in clandestino partu efficaciam nemo negabit. Quin, quod eiusmodi matres & recens nati infantes a nullo auxilio externo iuuentur, frequentiores omnino vt sint, non est quod dubitemus.

bitemus. Externum enim in simili casu auxilium infanti nonnunquam servando par esse, infra ostendam. Primiparae plurimum sunt rusticae, vel aliae vilioris sortis feminae & laboribus exercitae, in quibus partes, quae fetui viam parant, rigidiores obstaculum opponere lentumque partum facere solent. Quodsi porro consideremus vaginae orificii stricturam illam, ceu artis periti norunt, frequentiorem non minus, ac alteram, quae ab uteri orificio fit, nisi natum caput auxiliaris manus prehendat celerique motu integrum corpusculum extrahat, periculosam esse: infantes sine matris culpa doloque in clandestino partu saepius perire non amplius demirabimur. Quis enim puellae, omnis de partu cognitionis ignarae, partus laboribus defatigatae, timore, terrore, pudore perculsae, istiusmodi operationem defert, quae omne fere obstetricum plerarumque meritum complectitur, & de quo adeo obstetrices, (utinam & de pluribus possent) sibi plaudunt. Regeri quidem cum veritatis specie posset: dictis in casibus artis ope, externa irritatione excitatos, ut commoverentur, infantes fuisse, paria autem feminas clandestinum partum edentes moliri vix verisimile esse. Lubenter etiam fateor, ejusmodi matres minime animum ad excitandum fetum data opera appellere, inscias autem, quod minus exoptant, perficere. Dum enim fetus in terram delabitur, dum corpusculum prehenditur, dum removetur, dum in gramen conjicitur, vel succinctorio involvitur, ita, ut commoveatur, lacessitur. Neque quando conjectura huc me ducit, ingenii figmenta profero, sed quae inquisitionem acta me docuerunt. Omnia inquisitarum afferta eo redeunt se, dum infans commoveretur, prehenderetur, projiceretur, artus commotos observasse. Istud ergo, concludo, momentum pro infanticidio nil probat.

II. Prolatis etiam ea, quae Joannes Zeller de hoc argumento disputat *a*), minime adversari mihi videntur, quin potius fidem facere

a) *In dissertatione titulum praeferente: Infanticidas non absolvit,*

facere. Quodsi enim arctior plagularum limes ita ferret, medicasque controversias magis, quam observata complecteretur, quæque ex observatis non invita Minerva intelligi queunt; prolixius equidem id ipsum comprobare possem, Virique celeberrimi argumenta aestimare. Multum etiam interesse arbitror, vt omne, cum de argumento adeo graui agimus, dubium remoueatur. Quamobrem specialiori disquisitioni istud argumentum servo, in præsentiarum vero brevissimis monuisse mihi satisfacio, celeberrimum Virum signum de pulmonum infantis in aqua subsidentia impugnatum maxime ivisse; quod alieno, de vagitu uterino, infantisque recens nati ejulatu, testimonio nimis, quam argumenti dignitas grauitasque postulant, confiderit, fortioremque abdominis motum, qualis fere est equorum delassatorum, pro vera respiratione habuerit, deceptusque a præjudicata opinione, solum aëris ad pulmones accessum requiri, ut respiratio fiat, fuerit. Quæ enim infra *a*) dicentur, vagina tectum vagitum, nedum utero, omnimode evertunt, fortiores vero abdominis motus, quod præsentis scriptionis observationes comprobant, irritum potius respirandi conatum, quam ipsam respirationem arguunt, minimeque, quod passim ex iisdem observationibus elucet, sola ad respirationem aëris spiritus præsentia sufficit.

III. Eadem de motu infantum sine constanti vita observatio, pertinaciam motus in musculis cordeque præcipue, quæ post mortis etiam plura pauciorave momenta stimulo externo obedit, optime in homine comprobat, & vel ea propter notanda est, quod similes observationes, in brutis de industria excitatæ, quas experimenta vocant, frequentiores quidem sint, in homine autem rariores. *b*)

IV.

vit, nec a tortura liberat, nec respirationem fetus in utero tollit, pulmonum infantis in aqua subsidentia. Tubingæ 1691. Ext. in Collection. Hallerian. *T. V. p. 258. sqq.*

a) §. 10.

b) *Huc sine dubio quædam historiæ spectant, quas* BRUIERIUS *in*

IV. Pulmonum in aqua descensus minime fallax respirationis signum est, si modo sagax medicus delicti corpus secuerit: Neque etiam commoti infantis artus & subsidentes pulmones conciliari nequeunt; neque signum iste descensus ea propter dubium evadit, quod pulmones, qui spiritum nondum continuerunt, putridi aquæ innatant. Facilis enim distinctio est. Quando pulmones natant, & alius viscus, cor v. g. vel hepar præceps datur, fetus spiritum duxit: pulmones vero cum natant, natat etiam cor, hepar natat, reliqua viscera natant, vasa coronaria aëre plena sunt, reliquaque putredinis signa observantur, de prægressa infantis respiratione dubii sumus. Dictam hancce differentiam non solum ad superiorem observationem, sed ex pluribus aliis experimentis similibus didici. Putredinem autem corpora ita inflare, ut vel integrum corpus, nedum viscera aquis innatent, vel in vulgus notum est. Qua ex re de fetus respiratione, pulmones licet examinati fuerint, ancipites hæremus, quando flumini lacuique innatans corpusculum repertum fuerit. Neque etiam a spiritu ori inflato pulmones inflantur dilatanturque, nisi aliunde fetus respirauerit. Neque adeo iste inflatus judiciumque de pulmonum descensu dubium reddit *a*) neque feminam, clandestinum partum edentem, infantum excitatum aliquid experiri puto. Si adstantes id perfecerint, clandestinum penitus partum femina non enixa est.

V. Vehementer etiam vereor, ut quorumdam, magni etiam nominis virorum, de prima respiratione hypothesis hujusque phœnomena copula fiat *b*). Quodsi enim ambiens infantis corpusculum

in Libr. supra laudato collegit. cf. maxime C. I. §. 2. n. I. III. & IV. add. Cl. ZIMMERMANNI *Diss. de irritabilitate.* §. *48. p. 59.*

a) cf. TEICHMEYER *Med. Legal. Cap. XXIV. p. 240. sq.*

b) *Unicum excitabo* GE. BAGLIVIUM *Diss. IV. de sanguine & de respiratione. p. 454. 455. Dicit v. g. „Nam primo suc-„cedit*

lum aër propria elateris ponderisque vi pulmones inflaret, inflatique pulmones thoracem expanderent, cur idem non fieret in debili fetu, moribundo, mortuoque? cur ſpiritus, naribusque compreſſis additaque vi, inflatus id præſtare nequiret? Anne potius vivus vegetusque fetus proprio conamine thoracem diducit, & diaphragma deprimit? Ita enim pleuram inter pulmonesque vacuum paratur, quod pulmonibus, ut elaſticus aër gravisque irruere queat, libertatem concedit.

VI. Ex deſcriptis obſervationibus cuipiam ſubnaſci cogitatio poſſet: anne ejusmodi infantes in partu ſuffocati meliore artificio in vitam revocari poſſent, ſi excitantium loco ſpiritusque inflatione thorax nimia ſanguinis abundantia a) liberaretur, ſicque cordis non modo contractio liberior, circulusque ſanguinis expeditior fieret, ſed & thorax, ut moveatur aptius, pulmonesque ut dilatentur perficeretur. Subnata mihi eſt cogitatio, & optimo cum ſucceſſu eadem ad refocillandum infantem uſus ſum.

VII. Ne quis vero exiſtimet, deſcriptos infantes ex tumore forſan occipitis ipſa naſcendi hora denatos fuiſſe. Ejusmodi tumorem nunquam non elevatum obſervavi, cum vivus infans in tranſitu obſtaculo cuidam ovius fit; & non minus in iis notavi, qui vivi etiam in lucem eduntur, ac aliis, qui in partu moriuntur. In recens etiam nato infante ſine difficultate lympha ſanguisque reſorbentur, & tumor diſſipatur. Quoniam ſola cranii integumenta occupat, lethum non infert.

VIII.

„cedit aëris ingreſſus, deinde dilatatio thoracis. - "Et vi„detur probabile, motum thoracis ab inflatis aëre pulmonibus pendere.

a) *cf.* W. SMELLIE, *Tr. of. Midvifry. L. III. C. II. S. II. n.* 2. *p.* 327.

VIII. Neque etiam tumoris fugillationisve in capite præfentia violentam matris manum denotat. Ejusmodi errorem a medicis, (qui Phyficorum titulo civitatum populorumque curam gerunt) E-logia Medica, quæ vocant, fubminiftrantibus judici, in miferarum detrimentum vitæque periculum, committi aliquoties animadverti. Putant enim omnem in infante fugillationem omnemque livorem illatæ violentiæ indicia præbere. Capitis fugillationes tumoresve vivum folummodo infantem fub partus initium fuiffe declarant, incertum autem relinquunt, utrum in ipfo partu tumor natus fuerit, an a violenta matris poft partum manu; quamvis illud multo fit frequentius, multoque, fi unicam regionem tumor foedat, verofimilius. Raro fetus nafcitur, in quo omnis a capite tumor abfit. In folo infante vivo tumor nafcitur, quod in ifto folo fanguinis circulus, fine quo tumor efflorefcere nequit, viget. Optimum adeo fetus ante partum demortui indicium præbet caput in partu lentiore quod in tumorem non elevatur. Corpufculi maculæ lividæ ex folo putredinis initio, ceu notiffimum eft, fine ulla violentia externa oriuntur, nullamque adeo matris violentiam probant.

IX. Suffocatos in mortis agone externorum æquæ mufculorum, ac inteftinorum convulfiones vt plurimum pati notiffimum eft in iis, quibus laqueus vitæ finem facit. Miferi enim artus contrahunt, faciei cutem vario modo torquent vertuntque, linguam ceu in cadaveribus obfervavi, inter dentes protrahunt, inteftinum rectum veficamque exonerant. Idem adeo in infantibus, quos partus fuffocavit, fieri non demirabimur. Quamobrem in obfervationibus meconii excretionem effluxumque notavi, & in altero, cujus abdomen fecui, fetu inteftina arctiora contractioraque vidi. Vefica quidem depleta non fuit: caufa vero comprimens quædam vaginam & urethram effluxum impediviffe potuit. Quo magis vero mortis timoremque anxietatem fcybalorum excretionem promovere liqueat, notiffimam in canicidiis obfervationem addam. Quum enim, ut organorum actiones in vivo confpiciantur, canum extifpicia fiunt, timida animalia vel eo jam, quo, antequam lædantur, in

afferes firmantur, momento, certiffime autem cum anatomicus culter accedit, fœdis fuis inteftini & veficæ excrementis afferes confpurcant. Quin homines etiam & pleraque animalia, cum coërcentur anguntur que fimile fpectaculum præbere folent. Dicta quidem eo fcopo attuli, ut eo melius fetus in lucem edendos in mortis agone meconium excernere iftumque, cum fetus recte fitus eft, meconii profluxum mortuum fetum, vel faltem moribundum, debilemque maxime, ceu infra patebit, indicare liqueat. Artis enim peritos non fugere exiftimaverim, fetum clunibus præviis ex utero expulfum meconium egerere, etfi nullus de morte metus adfit *a*)

X.

a) COSME VIARDEL *Obferv. fur les Accouchem. C. IV. p. 76. ait, fe primum obfervaffe, meconii effluxum infantis mortem indicare. Suo tempore iftud fignum obftetricibus cognitum fuiffe teftatur* CHRISTOPH. VOELTERN. *Hebammenfchul: C. V.* n°. 13. *qui eadem cum Viardel tempeftate vixit, pofteriori nempe fæculi fuperioris periodo incipiente. Iftud quidem a Viardel propofitum fignum reftrictione licet egeat, culpari tamen nequit. Immeritus adeo Viardel ob iftud fignum* MAURICELLI *calumnias tulit, qui in Tr. des Malad. d. femmes groffes &c. L. II. C. XII. p. 278. inter alia bene multa fcommata, turpia, abjecta, viroque indigna. Viardelii paginam, quæ dictum fignum præfert, Monftrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum, vocat. Reftringi autem id fignum debet (1.) ad fitum fetus naturalem. cf.* DE LA MOTTE *Tr. des accouchements. L. III. Cap. XIII. (2.) Debilem fetum, fed in vitam revocandum æque indicat, ac mortuum. cf. infr. §. 8.* n°. 1. *cf. & Comm. Lit. Nor. Vol. I. p. 155. Præter Mauricellum & alii, utut male, iftud fignum negant. v. g.* LEVRET. *Obf. fur les accouchements laborieux. p. 100. Pluribus hoc fignum illuftrare fcopus vetat. cf. obf. med. de partu laboriofo Obf. XII.*

X. Solum meconium in ore, faucibus, œſophago & ventriculo, nil autem liquoris amnii, neque in dictis canalibus, neque in inteſtinis hæſit. Sequitur ergo; amnii liquorem non ſemper a ventriculo & inteſtinis comprehendi: maſſam a ventriculo contineri, pro qualitate ipſius nutritia nil probare: meconium ex amnii liquore non oriri; quamuis enim amnii liquor defecerit, copioſiſſimum tamen meconium rectum inteſtinum colonque repleuit, notabilis meconii copia licet expulſa fuerit. Fellea veſicula bile pleniſſima fuit, maſſulæque flauæ, melli ſimiles inteſtina tenuia repleuerunt. Meconii ergo origo meliore iure ex bile, quam liquore amnii devatur. Magna etiam in embryonibus hepatis moles meconii copiæ par eſt. Me non monente liquoris amnii nutritiam qualitatem ab ejusmodi obſervationibus vacillare patet.

7.

Excitata, quam partus ſuffocavit, puella.

Infelix infantes ſuperiorum obſervationum in vitam revocandi ſucceſſus fuit. Minime autem de proſpero ſucceſſu ſemper deſperare debemus. En obſervationem. Ex partu *a*) lento primoque puella nata mortuæ ſimilis eſt. Artus ſine motu laxi propendent, propendet etiam inferior maxilla, & cum elevatur ſua ſponte rurſus decidit. Meconium corpuſculum fœdat. Mortuam ſine refectionis ſpe dixiſſes, ni cordis pulſus minimam vitam latentem denotasſet. Ego etiam omnem vitæ ſpem nondum abjiciens nihil intentatum

a) *Ob ſolam in primipara genitalium reſiſtentiam partus lentior fuit. Duravit per novem circiter horas. Per aliquot horas caput in vagina ſubſtitit: ſinu vero externo dilatato protinus celeriterque corpuſculum expulſum eſt. An ergo & cur ſanguis in thorace ſtagnauit? An ab orificio uteri collum conſtrictum eſt? Vix hoc factum mihi videtur, namque una cum*

 capite

tum reliqui. Digitum itaque, ut fauces irritarem, in os ad epiglottidem usque demisi; inde fauces leviter circa digitum meum contractæ sunt. Nullum autem præterea vitæ signum edidit. Spiritum ori inflavi, ita spuma e naribus expulsa est. Naribus porro compressis spiritum ori inflavi: puellæ habitus nondum mutatus est. Interea temporis cohærens cum fune placenta in utero relicta mansit, ipsaque puella cum fune perpetua. Aliquot postea a partu primis horæ minutis præterlapsis funem perscidi, sicque, quod funiculum non deligauerim, sanguinis rivulo ex infantis umbilico effluxum paravi. Summa vi sanguis, ad dimidii saltem pedis distantiam, propulsus est, eodemque momento excitata puella artus abdomenque commovit. Nondum respirat. Propendentem ex umbilico funem, ne nimium sanguinis profluat, deligo. Abdomen dein comprimo: ita rursus abdomen contrahitur, motuque spastico thorax agitatur, nisum respirationis puella & vomitum edit. Ortum a muco sonum audio. Abdomini inde puellam impono, naresque aliquoties plumula titillo: ita mucus ex ore effluit, leveisque spiritum decimo & tertio a partu horæ minuto primo puella ducit. Nondum vagitum edit: tenuis modo respiratio est, & validius a muco suspirium. Calidum theæ potum instillo; excitatur ulterius & quatuor a prima respiratione minutis præterlapsis tenuem vagitum edit.

Theæ

capite celeriter corpusculum extrusum est. An ob mucum pulmones obruentem? Anne potius ob modice compressum collum in cerebro sanguis stagnavit? Hæcce conjectura minus difficilis est. Forsitan enim compressum cranium, modiceque ab uteri orificio constrictum collum medulæ cerebri non solum compressionem, sed & sanguinis in encephalo congestionem effecerunt. Cum hac saltem conjectura ipsa partus ratio & præsentaneum hæmorrhagiæ auxilium optime conciliari possunt. De muco infra differam. Similem excitati pueri, quem mortuum esse crediderunt, observationem recenset HEISTER *Diss. de partu mirabili in somno matris profundo. p. 8.*

Theæ potus continue instillatur; puella aqua calida fovetur: ita sensim vires recipit. Aliis quatuor minutis interjectis oculos aperit, aliisque tribus vagitum validum, qualis a vegeto infante provenire solet, edit, mucumque copiosum rejicit. Inde recte valuit adolevitque.

8.

Ex præcedente obseruatione consectaria.

Plura quidem descripta obseruatio nos docet.

I. Quæ supra de meconii in agone mortis excretione disserui, confirmantur. Moribundam enim puellam meconio se liberasse meconii copia corpusculum fœdans patefecit. Moribundum autem debilemque fetum, qui in vitam reuocari potest, æque ac mortuum, ista excretio indicat.

II. Suetæ irritationes suffocato fetui vitam non semper reddere possunt *a*). Id superiores æque ac præsens obseruatio comprobant. Thorax vel cerebrum sanguinis abundantia liberari debent, quod quidem sanguini ex umbilico effluxum concedendo optime perficitur. In suffocati vicissim fetus thorace vel cerebro sanguinis copiam colligi patet. Pari auxilio suspensos refocillari constat *b*). Neque muci ex ore eliminatio negligi debet *c*). Neque aliquid pro refocillando fetu auxilii placenta ex funiculo cum fetu perpetuo pendens *d*) ferre potest, neque etiam si in utero placenta relinquitur. Cumprimum enim infans natus est omnis placentæ virtus mox cessat, pars inuti-

a) *Me suctionem mammarum, quæ in Ephem. Nat. Cur. Decur. II. An. V. Obs. 121. An. VI. Obs. 69. & An. VII. Obs. 67. commendatur, in meis periculis neglexisse, doleo. cf. &* BRUIER. *lib. laud. P. II. C. IV.*

b) *cf.* BRUIER. *lib. laud. P. I. C. I. n. XXV.*

c) *De hoc argumento infra disseram.*

d) *Ita suadet* SMELLIE *Tr. of Midwifrey S. VI. no. I. p. 225. qui & reliquos reficiendi modos recenset.*

inutilis placenta evadit mortuaque *a*). Imaginationis fetus sunt & mera figmenta, qui ex placenta in fetum spiritus propagari producicique, vel instaurantes sanguinis circuli putantur. Neque calidæ aquæ, cerevisiæ vel vini spiritus demersa placenta haurit *b*). Neque spiritus in os inflatio proficua semper est *c*). Thorax, antequam pulmones expandantur, ut dilatetur, necesse est. Efficaces demum, cum a sanguinis abundantia liber est fetus, irritationes observantur. Narium fauciumque titillationem cum calidi potus instillatione reliquis præferrem. Has enim abdomen thoracemque præ reliquis excitare me non monente liquet.

III. Superius §. V. n°. I. de infanticidiis assertum confirmatur. Puella enim, antequam respirauerit, commota iam fuit, vixque, nisi varia molimina, quæ a femina clandestinum partum edente postulari nequeunt, tentata fuissent, cum vita in gratiam rediisset. Descriptæ adeo observationis fetum in vitam revocatum fuisse puellas, quæ infanticidii arguuntur, in maiorem commissi animo deliberato homicidii culpam suspicionemque coniicere nequit. Ad meliorem autem istius argumenti intellectum certioremque plurium casuum determinationem intelligi velim: casum me feminæ, clandestinum partum enixæ, in adversaria retulisse, quæ tunc demum temporis natum infantem, sine ulteriori vitæ signo, sinistrum suum brachium ter motu agitasse asseruit, postquam, resciffo funiculo modica sanguinis ex umbilico infantis copia effluxit. Qui quidem fortuitus casus cum meo experimento deliberato optime conspirando mirus esse desinit.

IV.

a) *cf. Comment. de Communic. uteri gravidi & placentæ in Societatis Gottingens. Comment. T. III. p. 397.*

b) *Ita suadet* IOH. VON HOORN. *Siphra & Pua. P. II. C. IX. ubi & alia refectionis adminicula proponuntur.*

c) *cf. Medical Essays and Observ. T. VI. n°. LV. p. m. 108.* BRUIER. *lib. laud. P.* I. *Cap. I. n°. 28. & Cap. IV. §. 3.* VON HOORN. *l. c.*

IV. Superiora etiam §. VI. n°. IV. de prima refpiratione notata confirmantur. Certiffime enim, nifi omnia me fallunt, thoracis motum & refpirationis nifum prius notavi, quam aër in pulmones irruerit. Expanfis adeo thorax dilatandis pulmonibus facultatem conceffit.

V. Ex fune umbilicali, qui non deligatur, infans utique hæmorrhagiam pati poteft: ligandus adeo funis ex parte infantis eft, nifi quidem hæmorrhagia ipfi pereundum fit *a*).

VI. Maxillæ inferioris fpontaneus, elevetur licet, lapfus, mortis fignum non præbet. Propter folum vero pondus, laxatis mufculis elevatoribus, inferior maxilla delabi poteft, quare vel nulli requiruntur mufculi detrahentes, vel faltem debilium etiam actio fufficit.

VII. Anne civium faluti fatis confulitur, quando obftetrix infantem ab uteri natura propulfum excipere & fafciis involvere didicit? Anne cafus incidere poffunt, in quibus medici, qui morborum cauffas cognofcit, promptum auxilium requiritur? Anne dum obftetrix incerta molimina tentaffet, Medicusque, ut infantem in vitam revocaret, arceffitus fuiffet, defcripta puella debilem & irrevocabilem vitam amififfet.

9.

Primæ refpirationis ratio.

Frequens omnino infantum recens natorum, quæ excitationem requirit, debilitas effe folet. Optima quidem communiffimaque, qua

a) *Alio loco inftituta, ut hoc argumentum illuftretur, experimenta recenfebo. cf. interim* IO. H. SCHULZE *Diff. an umbilici deligatio*

qua infantes recens nati primo mox momento, quo expulsi fuerunt, vagitum edant, viresque demonstrent, regula est: quo quidem in casu protinus vagiunt, ita ut discernere nequeamus, an primus thorax commoveatur, an aër primus in pulmones irruat? Sæpius tamen infans recens natus mox a partu, sine aëreo spiritu mortui speciem præ se ferens, minuto demum temporis vel pluribus interjectis thoracem agitat, spiritum ducit, vagitum edit, eundemque vel spontaneum, vel artis ope excitatum. Inter quinquaginta & quinque fetuum vivorum partus, in quibus ad primam respirationem attentionem adjeci, septem decies istud certissime observavi. Ex facili etiam una alterave observatio mihi sese subducere potuit ob externa, quæ partus tempore frequentia sunt, matris, temporis adstantiumque impedimenta. Istis vero in casibus, pari ut in superiore observatione modo, sine omni fallacia animadvertere mihi datum fuit; respirandi nisus, vomendi conatus, thoracis agitationes aliorumque musculorum motus ipsam respirationem & vagitum prægressos fuisse. Thoracis utique dilatationem priorem ab aëris inspiratione posteriore optime distinguere mihi licuit. Non amplius itaque hæsitaverim primam fetus recens nati respirationem thoracis agitationi adscribere, eandemque spontaneo aëris in pulmones influxui denegare. Quin, si solus aëris elater solumque pondus pulmonibus thoracique dilatandis paria sunt, cur idem ipso eo momento, quo infantis os nasumque aër contingit, non præstant? quid temporis opus est? quid incitationis artificialis? Lubentius sane istam hypothesin *a*) amplecti deberemus, qua in ipso partu tota corpusculi superficies ob arctissimam compressionem irritatur, eo quidem consilio, ut natus infans omnes musculos agitet. Quodsi hoc sit, non potest non thoracis musculos & abdominis simul ita movere, ut

gatio in nuper natis absolute necessaria sit: Hal. 1733. Il. PH. AD BOEHMER. *Diss. de necessaria funiculi umbilicalis deligatione. Hal. 1745.*

a) *cf.* BOERHAAVE *Præl. academ. T. V. P. I. p. 162.*

ut thorace dilatato pulmones expandantur. Iſtorum vero motuum, cum obſtaculum non objicitur, celeriter ipſo partus momento ſeſe inſequentium prompta ſucceſſio non diſcernitur, quæ vero, quando thoracis dilatationem aërisque irruptionem impedimentum moratur, obſcura eſſe nequit. Quædam iſtorum impedimentorum narratione mea delibabo.

Præter graviores, mortemque, ni promptiſſimum auxilium feratur, certiſſime inducentes, ſuffocationes, (de quibus ſupra disſerui) levior quæ a funiculo umbilicali fit, colli conſtrictio partusque retardatio in culpa ſæpius eſſe ſolent. Nec minus reſpirationem a partu aliquoties ſola cranii in partu compreſſio retardat. Iſto quidem in caſu venæ jugulares arctantur, ſanguinis ex cerebro refluxus impeditur, in cerebri vaſis ſanguis coacervatur, cerebri medulla comprimitur, nervorum actio *a*) imminuitur, priusque reſpirationis muſculi non agunt, quam a partu, liberato collo, ſanguinis copia e cerebro refluere poteſt. Ita liberata medulla reſpirationis muſculi contrahuntur. Muſculorum autem actionem ea propter impediri, cordis in ejusmodi caſibus debilior, quem obſervavi, motus comprobat, quique una cum reſpiratione incitatur demum. Sanguinem in capite coacervari, ex livore, quem in ejusmodi fetuum facie aliquoties obſervavi, ulterius cognoſcitur.

Quum cranium in partu compreſſum fuerit, medulla etiam cerebri comprimitur, ſimiliaque ac a funiculi conſtrictione ſymptomata oriuntur. Levia vero ut plurimum ſunt iſta impedimenta, ſuaque fere ſponte ſolvuntur, ſi modo finito partu comprimens cauſſa ceſſet. Quapropter etiam ſine externo auxilio iſtiusmodi infantes refocillantur: præcipitatur modo refectio nervorumque actio incitatur, ſi a partu irritans auxilium accedit.

Notaſſe hic loci juvabit, funiculi circa collum contorſionem minus

a) *De nervorum in collo compreſſione ſupra diſputavi §. 4.*

minus pro infante periculoſam eſſe, ac prima ſpecie cuipiam videri poſſet. Rarius omnino ex ea infantes pereunt. Unicam ante aliquot annos in adverſaria mea mortui ob funiculi conſtrictionem in partu obſervationem fetus retuli. Inter ſeptemdecim ſupra notatas obſervationes binæ modo in funiculum umbilicalem culpam conjicere poſſunt. Interea enim temporis, quo ad primam infantis recens nati reſpirationem animum appuli octies funiculum circa infantis collum conſtrictum obſervavi. Quinquies infantes ipſo finiti partus momento vagitum ediderunt, his per aliquot minuta ob collum in partu conſtrictum quieverunt, ſemel reſpiratio ab oris muco impedita fuit in infante, cui partus tempore funiculus collum ambiit. Præter vero binas iſtas funiculi compreſſiones ex ſeptem decim obſervationibus dictis ſeptem ad cranium compreſſum, partum lentiorem ſimilemve cauſſam pertinent; una ad nates prævias, tres ad pedes prolapſos *a*), ex quibus bini gemelli eodem partu extracti ſunt; alia ſupra expoſita ſanguinis partim congeſtioni, & tenacis partim muci repletioni debetur; tres reliquæ tenacem oris mucum incuſant. Sexies in iſtis caſibus ſua ſponte infantes minori temporis, horæ quaſi minuti dimidii, integri unius alteriusve, a partu intervallo præterlapſo reſpirarunt; ſemel nempe cum collum a funiculo fuerit conſtrictum, & quinquies cum compreſſum caput fuerit. Reliquis in caſibus artis auxilium acceſſit. In compreſſi quidem cranii, conſtrictique colli reliquis caſibus ſola manus profunda in os, ut fauces irritarentur, demiſſio ſuffecit. Suffecit in prævinrum natum partu, quo quidem in caſu nata puella non ſolum ante irritationem artus commovit, ſed & oculos aperuit. Poſt irritationem demum thoracem & abdomen agitavit, iſtaque agitatione peracta ſpiritum duxit.

a) *Fetus, qui in partu præternaturali, quo nates pedesque prævii pertinent, pedibus extrahuntur, ob compreſſum maxime funem umbilicalem animo linqui notum eſt. Quin necatos inde cum artis obſtetriciae magiſtris puſiones obſervavi. Iſtud quidem obiter, quod cadaverum ſectiones faciendi occaſio non ita ferebat, indico.*

xit. In primo, quo pedes prolapsi sunt, casu lentius negotium, quod eo tempore faucium nariumque irritationem neglexi, gerebatur. Puella enim extracta mortuam specie referebat. Languidior tamen in funiculo pulsus cum leni oris motu superfuit. Debiles sine respiratione & spastici thoracis motus insecuti, vehementioresque a frigidae aquae lotura facti sunt. Pedes porro fricati sunt spiritusque ori inflatus. Ita puella excitata spiritum duxit vagitumque edidit. Natis gemellis oris mucus expurgatus est, digitus in fauces demissus, orique spiritus inflatus, ita manifestissime cum aliis musculis thoraces conuulsi sunt, spiritusque demum insecuti. De sanguine e funiculo mittendo supra dictum est. De muco eluendo infra differetur.

10.

Fetus in Vagina respiratio.

Fetum capite nato, antequam excludatur, respirare nonnunquam, moxque emori, quorundam sententia est *a)*. Quin idem in ipsa vagina fieri alii afferunt *b)*. Solum enim aëris accessum, vt fetus spiritum ducat ex hypothesi supra citata, sufficere putant. Aër etiam fetum capite natum vel morans in vagina caput tangere potest. Caput in vagina morari frequentissime accidit, neque obstaculum nato capite corpusculum quod retinet, infrequens est, quin multo frequentius hoc euenire certum est, cum femina sine externo adminiculo clandestinum partum edit. Nihilo tamen secius vaginales ejusmodi capitisque nati respirationes fieri non posse censeo.

a) *cf. Ill.* TEICHMEYER. *Med. Legal. Cap. XXIV. p. 241. Anilis historia de ploratu foetus in vtero est in Eph. N. C. Cent. I. Obs. L. p. 121.*

b) I. H. CROESER. *cf. Ill.* HALLER. *Method. Stud. Med. Cap. V. p. 325. & Gotting. Zeitung. von Gelehrt. Sachen. A°. 1744. n. 58. p. 492.*

censeo. Respirationi aëris accessum solum non sufficere, sed liberam thoracis abdominisque dilatationem requiri, supra euictum est. Quamdiu vero thorax cum abdomine, post amnii liquoris effluxum, a genitalibus comprehenditur, nullus expansioni locus est; arctissime enim ista circa contentas partes constringuntur. Thorax abdomenque laxa modo sunt, dum amnii liquor suis velamentis inclusus, omnem aëris accessum arcet. Sed prodeat experientia litemque dirimat. Tantum abest, vt fetus solo capite natus, vel ad pudoris sinum propulsus respiret, vt potius, ceu supra vidimus, saepius infantes nascantur, qui mox a partu spiritum trahere nequeunt. Ex istis quidem tres per aliquot horae minuta capite, antequam corpusculum insecutum sit, nati fuerunt; idque propter latos humeros, peruerse sitos, funiculumque collum retrahentem. Istos autem fetus debiles fuisse respondebis. Concedo, sed quid inde emolumenti in defensam thesin redundabit? De casu legali, vbi mox a partu debilis fetus (qui ex hypothesi in vagina respirauit) emoritur, emortuique (ex eadem hypothesi) pulmones natant, quaestio est. Debiles autem fetus, quosque partus suffocat, mox a partu, nedum in partu, spiritum non ducere demonstratum iui. Omne vero, quod reliquum manere posset, dubium frequentes, a me obseruati, casus praecidant, vbi sine vllo vitae, nedum respirationis signo (vt vel adstantes mortuum esse fetum iurauerint) fetuum, qui nati extemplo cum vigore vagituque respirarunt, capita per notabile temporis interuallum ex genitalibus pependerunt. Nunquam etiam non fetus in partu haerens effluxo amnii liquore mortuum externa specie refert: integrum corpusculum compressum quiescit, nullumque eius motum mater sentit.

II.

Fetuum a muco suffocatio.

Alia suffocationum, de quibus agendum mihi proposui, species superest. En obseruationes.

Prima

Prima. Ex partu tertio, in ſeptimam horam protracto, puella naſcitur: collum funiculus ambit; puella quidem debilis eſt, mox tamen reſpirat: reſpirat autem cum difficultate, ſuſpirio ronchoque, ita vt aërem muco irretitum eſſe auribus percipiatur. Quare mucum ex ore ſoluo, reſpirationemque iuuo.

Secunda. Alia femina ex ſecundo partu, in ſeptimam horam itidem protracto, puerum parit. Oculos quidem gnatus aperit, nullum autem vagitum edit: qua ex cauſſa digito profunde in fauces demiſſo mucum ſoluo. Ita nunc vagit. Capite dein ad latus inclinato notabilis muci ex ore quantitas effluit.

Tertia ſupra §. 7. expoſita eſt.

Quarta. Naturalis quidem pueri partus eſt, vixque quatuor horis circumſcriptus: neque tamen, cum extractum eſt corpuſculum, vagitum puer edit, neque oculos aperit. Antequam naſcatur puer, nil amnii liquoris effluit, cuius rapidus torrens puerum inſequitur. Caput licet ſubito propulſum ſit, difficilius corpuſculum ſoluitur. Nati pueri, vt mucus eliminetur, in ore digitum agito. Muco digitus obuius non fit, digitum fauces comprimunt, ipſe puer immotus caeteroquin manet. Calidae balneo puerum foueo funemque ſcindo. Sanguinis quidem riuulus profluit, puer autem non excitatur. Calidam ori inſtillo, digito aliquoties fauces ſtimulo: digitum fauces premunt, puer ipſe ſine motu iacet. Pedes frico: pedes puer retrahit, ſpiritum non ducit. Plumula nares titillo: cum abdomine thorax valide conuellitur agitaturque. Ita abdomine thoraceque aliquoties agitatis, praeterlapſoque a partu horae quadrante primum ſpiritum ducit, ſpiritum autem debilem, ſonorum, ſuſpirioſum, quidem cum roncho moribundi trahunt, ita quidem, vt quauis exſpiratione ſuſpirium edat ſtertatque. Vagitum nondum edit. Mucum pulmones opplere non amplius dubito; vomitum, qui thoracem valide comprimeret, violentam abdominis agitationem, pariterque exſpirationem exopto. Quare

plumula profundas fauces laceſſo: ad vomitum niſus licet excitetur, ipſi vomitui tamen parem non eſſe animaduerto. Lapſa a partu hora ex balneo puerum extrahi, calidis linteis inuolui, & nares fauceſque plumula irritari curo; ſed fruſtra. Adſtans nicotianae fumum, compreſſis naribus, ori inflat; ita ſine vomitu vomendi niſus excitatur. Simili ſucceſſu idem iſto fumo inteſtinum rectum replet. Continue deinde puer leniterque agitatur. Sub agitationem oculos aperit, cum quietus reponitur palpebrae clauduntur. Porro, vt nihil pro vomitu excitando reliqui maneat, calida aqua ſaccharo ſatura & oxymel ſquilliticum per interualla inſtillantur. Omne ex ore rurſus effluit, vixque aliquid deſcendiſſe videtur. Id tamen praeſtat, vt vomendi conatus denuo oriantur, ſono fortiore, auctiore & cum ſtrepitu quodam puer reſpiret. Ipſe vomitus fruſtra expectatur. Tertia quaſi a partu hora fetus in abdomen repoſitus hinc inde agitatur. Ita mucus ex naribus copioſus effluit, ex ore nullus. Agitatione continuata vberior muci copia effunditur. Vt requieſcat puer, per interualla in dorſum reponitur. Tandem, puer licet agitetur, neque mucus amplius effluit, neque maior reſpirationis vis excitatur, neque ſonus ſuſpirioſus ſtertenſque ceſſat, quare puerum quarta a partu hora faſciis inuolui, & calido lecto iuxta matrem foueri curo. Ita integram noctem inter debilem tenuemque reſpirationem tranſegit, donec duodecima a partu hora mortuus ſit. Per breue vitae tempus thoracis motus cordiſque pulſus non obſcuri fuerunt; cutis oriſque labia pallida manſerunt, calidis etiam linteis toti corpuſculo calor communicari non potuit, haec mox, mox illa corpuſculi pars frigida fuit.

Mortis cauſſam indagaturus ſectionem inſtituo. Velum palatinum cum vuula ad palati oſſei fornicem totum reflexum haeret, dorſumque linguae ad eundem fornicem ita eleuatum, vt aëris via per os clauſa ſit, ſolaque altera per nares aperta hiet. Qua ex re factum eſt, vt nihil muci ex ore, inſignis autem ex naribus copia

effluxe-

effluxerit. Pari ratione per ſolas nares tenuem ſuum ſpiritum duxit. Plumula enim naribus admota licet commoueatur, alia ante os poſita immota manſit. Sed redeo vnde digreſſus fui. Epiglottis tota erecta glottidem apertam linquit. Larga muci copia in poſterioribus naribus faucibusque haeret. Liquor etiam ſpumoſus integram aſperam arteriam bronchiaue replet. Minus hic liquor, ac ille in faucibus naribusque ſtagnans tenax eſt, fila, ceu ille, non trahit, ſed aëreis bullis copioſiſſimis remixtus & inſipidus eſt. Pulmones etiam integros ſimilis ſpuma albicans replet, quae, cum pulmo inciditur, vel aſpera arteria, copioſa exprimitur. Nonnullis in locis ſpumae ſanguis immixtus eſt. Integer pulmo & in fruſta reſectus natat. In pulmonum ſuperficie quadrangulares lobuli diſtinguuntur, quorum latus lineam aequat, ſubſtantiam aër, in omnem particulam effuſus, inflat. Iſtorum lobulorum alii ex coeruleo-liuidi ſunt, alii a ſanguine effuſo rubelli.

Aqua flaueſcente, modiceque ſalſa pericardium repletur. Cor cum ſanguineis vaſis maioribus ſanguine, in nigricantem maſſam coagulato, pleniſſimum fartiſſimumque eſt.

Molliſſimum cerebrum eſt, humidum, ſeroque perfuſum. Copioſiſſimo ſanguine plexus choroides turget. Cerebri ventriculi aqua rubella, in qua ſanguinis globuli effuſi apparent, replentur, ſanguinisque quantitas inſignis in ventriculorum fundo fluctuat. A diſſectione ortum ſanguinem non fuiſſe certus ſcio.

Ventriculus inſipido humore, tenaci, fila trahente ebrius eſt. Inteſtina eiusmodi humore vacua ſunt. Duodeni regio, quae ductum choledochum recipit, pulpae viridis parcam copiam continet. Similis pulpa in ſequenti inteſtino cinereo colore diſtinguitur, rurſusque interpoſita aliquot pollicum diſtantia pallide viridis ſit copioſaque. Eiusdem in ſequenti inteſtino copia ſenſim augetur, co-

lor intenditur maſſulaeque peculiares colliguntur. Inteſtinorum iſtis in regionibus parietem tenax mucus inungit. Parciſſimam meconii copiam colon dextrum comprehendit, eaque lege contractum eſt, vt in copioſiſſimas rugas longitudinales plicatum ſit. Pari modo dexterior transuerſi coli pars ſe habet. Siniſterior vero pars meconio ſenſim magis repletur. Siniſtrum colon cum recto inteſtino meconio, caeterum naturali, ita expanditur, vt octo ſaltem pedis rhenolandici lineis diameter aequiparari poſſit. Inteſtina tenuia aër inflat. Cardia laxa & pluribus rugis longitudinalibus aſpera eſt. Siniſtra coli flexura, quam S. Romanum vocant, ita a ſiniſtra regione ad dextram inflexa eſt, vt tota, antequam ſiniſtra verſus in peluim reflexa deſcendat, ſuper dextro ilium oſſe haereat *a*). Magnum, vt eſſe ſolet, hepar & ad lienem protentum, felleam veſiculam ante ſuum marginem anteriorem exigit cylindricam, longam, bile viridi, mucoſa maxime tenacique plenam. Ductus etiam hepatici viridem bilem comprehendunt. Vrinariae veſicae, contractae lotioque vacuae, craſſiſſima tunica eſt. Veſicam natus puer leuauit *b*).

In oſſibus bregmatis, dextro praecipue, liuidum inſignis amplitudinis ſpatium eſt, quale a ſtagnante ſanguine formatur.

12.

a) *Idem fere Cel.* Winslow *aliquoties obſeruaſſe videtur. cf. Expoſ. Anat. de la ſtr. du Corps humain.* T. *III. no. 155. p. m. 338. cf. & Fetus Paraſitici deſcriptio in Societat. Gotting. Commentar. T. IV. S. I. no. VII. p. 148. not. a.*

b) *In hoc aeque, ac aliis pueris, in partu ſuffocatis, ſcrotum muci plenum obſeruaui, tenacis, flaueſcentis, qui cum infima ſcroti cellulosa in cohaerentem gelatinam coaleſcit, cf. §. 13.*

12.

Ex descriptis obseruationibus consectaria.

I. In descriptis obseruationibus mucum os, fauces, nares, tracheam, pulmones ventriculumque repleuisse certum est. Vnde vero is mucus oriatur quaestio est? Potest ex istarum partium membranis secretus, potest etiam in os fetus naresque propulsus fuisse. Prius *a*) lubenter existimarem, nisi, summa muci copia collecta aliud suaderet. In omni vtique fetu humor membranas inungens secernitur colligiturque, ea vero copia, quae in descriptis obseruationibus oblata est, rarior obseruatur. Nimis etiam is humor tenax est, quam qui ex mucosis embryonis folliculis secerni possit *b*). Parcissima eius quantitas, quae solos parietes oblinit, in intestinis reperitur *c*). Maiori itaque cum veritatis specie ab amnii liquore, in dictas cauitates depulso, deriuari potest. Ita sane summa quantitate colligitur, ita vltra ventriculum in intestina non promouetur, ita tenacitatem, colorem reliquasque qualitates cum amnii liquore communes habet *d*).

II. Fe-

a) *Plura curiosa, vt mucum istum in embryonis pulmonibus secerni comprobet,* Petitus *affert in Mem. de l'Acad. Roy. d. Sciences. A°. 1733. n°. I. p. 1. sqq. Ob dictas vero rationes in Petiti etiam obseruatione humorem spumosum amnii liquori tribuerem.*

b) *Embryonis sanguinem secretosque ex sanguine humores tenuiores esse notum est. Mora quidem habitum spissat, sed quantitatem etiam minuit.*

c) *Cur copiosus in ore, faucibus, naribus, trachea, pulmonibus ventriculoque mucus esset, parcus autem in intestinis?*

d) *Amnii liquorem in ventriculo plures inuenerunt. cf. Prael. Boerhaau. T. V. P. II. p. 349. In embryone etiam vitulino id obseruaui. cf. Diss. de fetu perfecto. §. 13. ext. in Collect. Haller.*

II. Fetum adeo a liquore amnii nonnunquam suffocari colligi potest. Summa symptomatum, quae in aqua (§. I.) submersis & suffocatis a liquore amnii fetibus obseruatur, conuenientia negligi nequit. Liquor in os, nares, pulmones ventriculumque descendit, hic loci subsistit neque in intestina penetrat. A liquoris etiam irrumpentis vi sanguinisque in pulmones influentis nisu simili modo in pulmonum substantiam sanguis effunditur. Ob similem ex cerebro refluxum impeditum, ceu in aliis etiam suffocatis (§. 2.), serum sanguisque in cerebri ventriculum erumpunt.

III. Iste vero mucus, aeris vias claudens, eiusdem in pulmones irruptionem impedit; quare haerens in ore soluendus est *a*), pulmones etiam opplens exspiratione fortiori expellendus. Eiusmodi exspirationem vt excitarem omni modo annisus sum. Vt thorax agitatus pulmones compellat abdomen compressi vomitumque excitare studui. Similibus artificiis ii, qui in submersis praecipuam mali caussam oppletis pulmonibus tribuunt, vsi sunt *b*). Irritus autem successus fuit. Summopere adeo verisimile fit, iis submersorum, quorum pulmones aqua farcit, parum spei reliquum esse.

IV. In submersis quidem aqua inspirandi nisus aquam in pulmones attrahit ventriculumque. Similem nisum embryoni tribuere nollem:

Nondum enixa capra est, dum ludit in aedibus haedus c).

Quare

Haller. T. VII. p. 322. add. Io. Veslingii *Syntagm. Anatom. Cap. VIII. p. 120.* Io. Nic. Weiss. *Obseru. Anatom. 4°. 1740.*

a) *cf.* I. v. Hoorn *Siphra & Pua. P. I. C. XV. p. 61.*

b) *cf. Cl.* Evers *Diss. laud. S. III. §. 44.*

c) Αἲξ ὄπω τέτοκεν, ἔριφος δ' ἐπὶ δώματα παίζει. Andr. Schotti *Prouerbior. Zenobii Centur. I. n°. 42. p. 15.*

Quare citata in dissertatione violentam, quae ab vteri contractione, musculorum fauces atque cardiam fetus claudentium actionem superante proficiscitur, amnii liquoris detrusionem fieri putaui. Quam quidem coniecturam descriptae obseruationes comprobant. Quodsi enim amnii liquor a fetu pro nutrimento per gestationis tempus deglutitus fuisset, cur idem in ventriculo immutatus manserit? cur in ore, naribus, faucibus haeserit? cur pulmones oppleuerit? cur in intestina promotus non sit? non perspicio. Quae enim deglutiuntur, neque in ore, naribus faucibusque morantur, neque in asperam arteriam descendunt; sed in ventriculum detruduntur, detrusa mutantur, mutata in intestina promouentur. Notissimae hae veritates physiologicae mea demonstratione non egent. Nil vero ante fetum amnii liquoris effluxisse, rapidissimum autem torrentem insecutum esse vtique memorabile etiam est. Simplicius adeo multo mucus iste mox ante finitum partum, quando integrum peluis ostium fetus caput obturat, ab amnii liquore, pone fetum in vtero contento, in os naresque violenter propulso, viasque violenter, sine consilio delectuue, aperiente, oritur. Ita nulla in explicando difficultas superest. Ita qua data porta mucus irruit, in pulmones aeque, ac ventriculum. Ita immutatus reperitur. Ita noxius esse potest. Ita, vt infans spiritum ducere possit, ex ore faucibusque remouetur. Ita a recens nato infante vomitu reiicitur. Specialiorem quidem attentionem vltimum momentum meretur. In citata dissertatione illam obseruationem iam vrsi: nunc vero post repetita experimenta eandem summopere confirmatam video. Prouti enim descriptis in casibus eiectus ad expediendam respirationem mucus est; ita copiosis aliis in infantibus, in quorum solos ventriculos descendit, istum mucum primo a partu die, sua sponte antequam alimentum vel medicamentum datum fuerit, vomitu reiectum notaui, incertis quidem a partu temporis interuallis, simplici alias nisu, alias repetito. Bono itaque consilio suadent solentque Medici, soleo & ipse, istius expulsionem, nisi sua sponte reiectio contingat, vt

S 2 malis

malis inde oriundis praeuertatur *a*), arte promouere. Quo itaque iure, quaeso, mucus, ventriculum vomitu subuertens, noxius, *b*) artisque ope expellendus, nutricius vocari potest?

V. Liquor, quem pulmones comprehenderunt, spumosus potius, quam tenax fuit. Ratio facilis est: Humori mixtus & agitatus aër soluta tenacitate spumam fecit.

VI. Specimen fetus, qui, respirauerit licet, longam tamen vitam, sine omni matris culpa, protrahere non potuit, descripta obseruatio exhibet. Quin, si suffocatum amnii liquore, fetum, per aliquot horas qui respirauit, cuius adeo pulmones natant, spumosoque fluido pleni sunt, femina clandestinum partum edens in fluuium lacumue coniecerit, omnia infantis in aquam demersi signa comparent, feminamque infanticidam sine omni dubitatione produnt. Nihilo tamen secius eiusmodi infantem, praeter matris culpam, amnii liquor suffocauit. Quanta itaque cautela variorumque casuum cognitione opus sit, vt ex facta corpusculi sectione ad commissum homicidium concludere Medicus possit, delineatus aeque casus ac superiores luculentissime demonstrant. Nimis autem, proh dolor!

a) *cf.* MAVRICEAV *l. c. P. I. L. III. Cap. XXIV. p.* 472. ISBR. DE DIEMERBROECK *Anatom. L. I. Cap.* 31. *p.* 222. CORN. STALPART VAN DER WIEL. *Obs. rarior. Medd. Chirurg. Cent. Post. Obs.* 32. *p.* 318. *ed. Belg.* BOERHAAVE. *Amphorism. de cognosc. & curand. morbis n°.* 1340.-43. *p.* 250. IOHN MAVBRAY *Female Physician. S. VI. Cap. IX. p.* 333. CEL. MONROO. *Medical. Essays T. II. Comm. XI. §. XIII. p.* 214. HALLER *Prael. Boerhaau. T. V. P. II. p.* 350. *not. r.* IO. CHRISTIAN THEMELIVS *in Comment. Med. de nutritione fetus in vtero per vasa vmbilicalia §.* 26.

b) *In amnio felis liquori remixtum meconium inuenit* BVFFON. *Histor. Natur. P. III. Vol. II. p. m.* 18.

dolor! ignaua Medicorum ignorantia, imprudensque iudicii festinatio, certum crimen ex dubiis maxime incertisque signis deriuare frequentes satagunt, iudicique vel peritissimo falsum delicti corpus constituentes, miseram graui periculo matrem exponunt. Nec protinus tamen crimen artis est, si quod professoris sit *a)*.

VII. Massae viridescentis ex duodeni regione, quae choledochum ductum recipit, origo probabilem admodum, de origine meconii e bile (§. VI. no. IX.), coniecturam reddit.

13.

Fetus in partu difficili ob compressum cranium mortuus.

Femina quadraginta quasi annos nata, peluis angustia laborans, quae vix operatoris manum, eandemque graciliorem, admitteret, corpore tenuis debilisque, primum suum difficillimumque partum *b)* edit. Tempus enim octodecim saltem horarum labebatur, donec capitis forma ita in longum cylindrum duci potuerit, qui angustiis istis superandis par fuerit. Ab osse sane occipitis ad frontem distantia in quinque pollicum longitudinem tracta est, altitudo licet verticis ad cranii basin tres quasi pollices aequet, & ab vna aure ad alteram latitudo cum duobus pollicibus, nouemque lineis comparari possit. Interea etiam temporis, dum dolorum vis caput acueret, insignis in occipitis regione tumor excreuit, pollicem saltem altitudine excedens. Valentissimi tandem dolores puerum expulerunt. Viuum eum fore natum speraui, sed compressionis vis vitam abstulit. Sine motu iacuit, sine funis vel cordis pulsu, laxa pependit maxilla inferior, suaque vicissim sponte, cum eleuaretur, decidit, laxi etiam reliqui artus pependerunt. Fuscus liquor mucosusque e naribus

a) A. CORN. CELSVS *de Medicina L. II. Cap. VI.*
b) Qui describitur in Obs. Med. de partu laborioso Obs. VIII.

naribus fluxit; maiori, ac solet, copia caseosus vel sebaceus concretus corpusculum foedauit; liuida etiam facies fuit. Vt debilem forsan animam excitarem suetorum moliminum pericula feci. Funem non diligatum perscidi, ast aliquot modo sanguinis guttulae effluxerunt. Setaceis scopis pedes fricui, digito fauces lacessiui, plumula nares: nil agitationis vel leuissimi motus insecutum est. Neque magis mammarum suctio *a*) quae fistulae, qua nicotianae herbae fumum hauriunt, ope fit, proficua fuit.

Altero die lapso corpusculum, vt mortis caussa cominus conspiceretur, dissecui. Et primum quidem abdomen aperui, ex quo aperto sanguinis tenuioris *b*), omnia viscerum interualla replentis, notabilis quantitas effluxit: Tenuior quidem ac alter, quem ex venis postmodum extraxi, is sanguis fuit. Contracta apparent intestina & rubicunda, vasis eorum venosis sanguine plenissimis, cum minores arteriae vacuae essent. Coli flexura, quam S. Romanum vocant, dextrorsum mota erat. Colon nempe sinistrum dextrorsum repens, Psoaeque musculo inhaerens, ad intestinum vsque rectum descendit: inde dextrum prioris intestini marginem legendo, sinistrorsum rursus ad mediam vsque mesenterii originem ascendit: dextrorsum porro redeundo ad dextri vsque ossis ilium cristam descendit, & sinistrorsum vltimo loco recedens in rectum intestinum abit *c*). Ventriculus in longum farcimen summopere contractus, parcam tenacis pallide fusci, insipidi fere leuiterque salsi, muci copiam continet. Contractissimus pylorus omni liquore vacuus est. Modice inflatum intestinum duodenum bile apprime repletum est.

Ieiuni

a) *cf. §. VIII. n°. I. not. a*).

b) *Similem obseruationem v. in Cel.* BENEDICT. STEHELINI *Tentamine medico. Basil.* 1724. *Thes. III. Ext. in Collect. Haller. T. VI. p.* 679.

c) *cf. supr. §. XI. not. e*).

Ieiuni initium bile, ſenſim craſſiori, & tenuem pultem referente plenum: plena etiam inflataque craſſiori pulte bilioſa & viridibus maſſulis remixta, reliqua ieiuni portio: ileum vero contractum magis flaueſcentem pultis craſſioris, lineaeque diametrum aequantem ſtriam complectitur. Vermiformis appendix craſſa pulte flauaque fartus. Craſſa inteſtina, ſi exiguae hic illic maſſulae excipiantur, vacua atque contracta ſunt, rectum vero inteſtinum flaueſcente partim, partim virideſcente meconio plenum, inflatumque. Quo remotior inteſtinorum puls eſt a duodeno, eo craſſior apparet. Hepar, vt ſolet, magnum lienis dimidium contegit, purpurei coloris, magnamque ſanguinis copiam comprehendens. Fellea veſica bile fuſca, rubella, tenaci, amaricante modice plena. Lien colore obſcurus, ſanguine pleniſſimus. Ex omento infra inferiorem lienis apicem rotundus paruusque lien, cuius diameter lineae cum dimidia aequiparari poteſt, pendet. Veſica vrinaria lotio ſummopere diſtenta a). Scroti celluloſam, quam Dartos vocant, ſerum flaueſcens expandit: expanſum adeo non diſſectum ſcrotum fuiſſe liuidumque me non monente liquet. Vaginalis, quae ſpermaticum funem comitatur, tunica in farciminis ſpeciem, tres quatuorue lineas craſſi, inflata tenuiorem ſanguinem, qualis in abdomine fluctuauerat, comprehendit. In abdominis tamen cauum iſta vaginalis tunica non aperitur, ſed ex peritonei celluloſa continuatur. Vtrumque teſticulum ſcrotum iam excepit.

In thorace vero grauiſſimae inflammationis & ſanguinis congeſtionis ſigna conſpiciebantur. Prouti enim maiora cordis vaſa, arteriae, venae, auriculae, ſinus & ventriculi ſanguine turſerunt, ita minora etiam vaſorum retia, quae pleuram ornant, externam pulmonis membranam, ſimilem thymi, cordis, pericardii, vaſorum maiorum, diaphragmatis &c. ſanguine pleniſſima non iniucun-

 dum

a) *cf. ſupra §. VI. no. VIII.*

dum anatomes cultoribus spectaculum praebuerunt, quo praestantius vasa de industria referta sistere nequeunt. Et prae reliquis partibus coronariorum rami vasorum, qui cordis superficiem ornant, vel minimi sanguineam lineam obtulerunt. Neque vero soli vasorum rami plenissimi fuerunt, sed effusus etiam in dictarum membranarum cellulosam telam sanguis ater, rotundas maculas nigras, vel sugillationes copiosissimas produxit, quas sola membranarum cellulosa tela complexa est, quaeque detractas membranas sequuntur, macularum ne quidem vestigiis, detracta membrana, in viscere remanentibus. Macularum syrma zona quasi cordis basin vestit, copiosissimaeque quidem maculae thoracica viscera ipsumque thoracis ambitum distinguunt, eaedem tamen rariores sunt in ambitu thoracis, qua ad anteriora spectat atque a sterno propior est. Pericardii quidem cauitas sero dilute rubicundo ebria est, nil vero humorum thoraces alunt, neque etiam pulmones vel aspera arteria, si parca tenacis muci copia, quae bronchia inungit ex folliculis suis secreta, excipiatur. Prouti cor reliquaque viscera, ita & integer aeque ac in parte scissus pulmo in aqua subsidet.

Omnium vero intensissima inflammatio cerebrum occupauit. Naturalis quidem ea durae matris portio est, quae cranium vestit, quae vero sinus falciformis nomine & tentorii cerebelli inter cerebri lobos penetrat intensissime rubet liuetque, vasaque sanguine satura exhibet, qualia subtilissima etiam prosectoris ars fistula sua ceraque nunquam detecta sistere posset. Spatia inter vasorum retia media tenuis, qui in cellulosam telam, sine vasorum ruptura violentaque effusione, ex vasorum parietibus extremisque exsudauit sanguis, vtpote suae indolis inflammatio rubore liuoreque colorauit. Idem vasorum mediorumque spatiorum habitus in omnibus ventriculorum cerebri plexusque choroidis membranis fuit, quia sanguine non minus abundarunt omnia, quae cerebri substantiam, tum corticalem, tum medullarem, vasa perreptant, ipsamque hoc modo

modo cerebri substantiam, exiguis modo albicantibus cinereisque areolis mediis intenso rubore liuoreque infecerunt. Seri vero vel sanguinis, quod in cerebri ventriculos effusum sit, nil, ne minima quidem guttula, comparuit.

Externa vero, quae cranii integumenta vitiauit, ex compressione orta sanguinis serique suffusio notari meretur. Ipsa in tumoris regione cutis modice liuida fuit. Tumorem extensa & sero sanguinolento satura copiosa cellulosa tela erexit. Pericranium in tumoris supersedentis sede liuorem contraxit, cui in auersa parte, qua cranio strictim sine relicta continua fibra incumbit, pigmentum quoddam nigrum inhaeret, pertinaciter pericranii substantiae immixtum, obiter cranio innatans & vel digiti detersione remouendum, fibrarum, vasorum sanguinisque dubio procul ex pericranio in cranium missorum compressorumque vitiata colluuies: omnes sane, quae pericranium cum cranio ante compressionem copiosae fibrae nectebant, solutae ibidem sunt, solumque cranium sine cohaesione pericranium vestit. Vitiosum vero pericranium aliquot ossium sedes tegit; ossis nempe occipitis dimidiam dextram; superiorem, sinisteriorem posterioremque, quae ossis bregmatis dextri tertiam partem complectitur; dexteriorem & eandem superiorem, quae quartam ossis bregmatis sinistri partem absoluit. Ita vero compressionis vis ossa dimouit, vt infra bregmatis ossa frontis ossa & occipitis voluta fuerint: qua etiam in sede dicta ossa sibi superuoluta sunt, ad pectinatos nempe margines, similis in pericranio ecchymomatum liuor obseruatur.

In extremitatibus vero, quas vocant, tum inferioribus, tum superioribus, collo, facieque inflammationis nil apparet, venaeque maiores, praeter iugulares plenissimas, modicam maxime sanguinis quantitatem continent. Thyreoides glandula liuidi coloris, omnesque musculi pallidi fuere. Nihil penitus muci os conspur-

cauit,

cauit, ad fauces etiam lingua strictim appressa est. In narium autem vtraque copiosus eiusmodi mucus, qualis e naribus effluxit, apparuit; idem ex posteriori apertura defluens pharyngem oesophagumque inundauit, eiusdemque promota colluuies modica in ventriculo, ceu jam monitum, haesit.

14.

Ex descripta obseruatione consectaria.

Plura quidem, quae exposita iam fuerunt, momenta ex superiori obseruatione nouum robur nanciscuntur.

I. Tumoris, qui e cranii cute excreuit, descriptionem eam ob caussam fusius denuo adornaui, vt eo melius istiusmodi tumoris naturam cognoscere discamus, eundemque ab aliis, quos matris forsan violenta manus excitauit, distinguere. Ita quidem in supra *a*) jam notatum errorem minime illabemur, quo ex omnis generis in capite tumore ad matris violentiam in sectionibus legalibus inferimus *b*).

II. Idem tumor, quodque mater ante partum fetus motum perceperit, sub ipsum partum fetum demortuum fuisse fidem facit *c*).

III. Mortis vero caussam diuturnae cranii cerebrique in angustiis compressioni tribuendam esse, & ipsa partus ratio, & anatomica sectio probat. Longum enim, quo cranium in peluis capacitate compactum fuit, temporis interuallum lapsum est; quo quidem

a) *cf.* §. *VI. no. VII.*

b) *cf. Cel.* HENR. DELII *Diss. Sugillatio, quatenus infanticidii signum. Erlang.* 1751. *Eph. N. C. Cent. III. Obs. XX. p.* 42.

c) *cf. supra* §. *IV.* & *VI. no. VIII.*

dem tempore cerebri prouti massa nimis coacta suam in nervos, a quibus sanguinis circuitus pendet, vim non diffudit, ita & ipsa sanguinis massa in cerebro retenta fuit. Inde necessario factum est, vt maiorem arteriae, quae pressioni magis resistunt, in encephalon copiam attulerint, quam venae reduxerint, atque sanguine summopere vasa ita turserint, ut vel in ipsam vicinam telam cellulosam sanguis effusus fuerit. Cordis etiam motus, qui sensum cessavit, debilior sanguinem in venis congestum minus promouens eundem stagnantem reliquit. Elegans id esse mihi videtur, summam sanguinis congestionem in encephalo fuisse, minorem in thorace, minimam in abdomine, nullam in extremitatibus. Id etiam momentum praetermitti nequit, sanguinis in cerebro congestionem seri vel sanguinis in ventriculos profusionem necessario non secum ducere, quam vis frequentissime id fieri sectiones, quo et supra delineatae referri possunt, comprobent. Addi etiam debet, sectorum fetuum thoraces *a*) nunquam liquorem aluisse, pericardium licet istiusmodi plenum fuerit, abdomen atque encephali ventres. Abdominis quidem cavum seroso liquore plenum observari solet; in nostro vero casu, ob venulam sine dubio disruptam, ipse tenuior sanguis effusus, venisque subtractus, abdominis inflammationem imminuit.

IV. Nihil penitus auxilia varia, ipseque funiculus, ut sanguis profluat, apertus profecerunt. Partus, uti videtur, diuturnitas dudum iam vitam abstulit, nulla arte revocandam. Suctione etiam mammarum supra (§. VIII.) laudata sine fructus usus sum. De ipsa partus ratione differere scopus vetat.

V. Procul etiam dubio moriens embryo meconio se liberavit. Quamvis enim nihil istius excrementi ad corpusculum haeserit, excretum tamen fuisse, crassa intestina meconio vacua contractaque comprobant. Cum amnii fortassis liquore & sanguine, qui post par-

a) *cf.* STEHELIN. *l. c. p. 680.*

partum effluxerunt, remixtum meconium minusque, obſervatione ad alias circumſtantias translata, notatum fuit *a*).

VI. Mucum, quem, ſi ita lubet, pro amnii liquore habere poſſumus, in ſolo ventriculo moratum, pylorum contractiſſimum, duodenum bile pleniſſimum, eandemque bilem in inteſtinorum reliquis ſenſum ſpiſſiorem fuiſſe *b*), non adeo obſcurum documentum nobis praebet, meconii originem ex bile potius, quam amnii liquore repetendam eſſe. Simplicius enim excogitari poteſt nihil, quam copioſam ex magno hepate bilem in duodenum effundi, ſubtiliorem eius laudabilioremque partem, in ſanguinem a lacteis vaſis reſorberi, reſiduamque ſenſim maſſam, donec in craſſum tenaxque meconium abeat, inſpiſſari *c*). Reliquos ex inteſtinis humores ſecretos ſuam etiam ſymbolam conferre, pallidioremque eam ob cauſſam comprehenſarum a tenuibus maſſularum colorem ſenſum fieri, negare equidem nollem.

VII. Memorabile admodum eſt & notatu dignum, fuſcum iſtum mucum, quem ventriculus continuit, continuata ſtria in nares, minime vero in oris cavum protractum fuiſſe. Coniecturae cuidam iſtud phaenomenon anſam praebet. Fetus in utero ſitus ita eſt, ut thoraci valide mentum appreſſum ſit, caputque, quam longiſſime fas eſt, propendeat. Ita quidem infra laryngem mentum deprimitur, craniique baſis ad poſteriorem oris fundum, qua linguae dorſum poſterius eſt, propius accedit. Quam ob rem muſculi, qui ex mento ad os hyoides, quique ex hoc oſſe ad laryngem deſcendunt, laryngem, cuius, ut deglutitio fieri poſſit, elevatio deſideratur, ad mentum adducere elevando non poſſunt. Minime adeo vera

a) *cf.* §. *VI. n*° . *VIII.*

b) *cf.* REGN. DE GRAAF *de mulier. organ. gen. inſ. Cap. XV. ſub med.*

c) *cf.* §. *XII. n*° . *VII.*

ra deglutitio *a*) embryoni, quem matris sinus fovet, tribui posse mihi videtur. Lingua faucibus appressa eandem deglutitionem, si vel maxime os apertum fuerit, impedit. Appressam vero linguam faucibus in nullis fere, quos secui, embryonibus, non reperi (*b*), totiesque in recens natis infantibus, quibus, ut excitentur, in fauces digitum tuli, notaui. Magna, quae ori proximum humorem propellat, ut ista obstacula superentur, vis requiritur; minor, qualis in nostro aeque ac superiori casu accusanda videtur, per solas nares humorem depellere potest. Eadem laryngis ad cranii basin vicinitate epiglottis etiam in embryone claudi videtur, liberosque pulmones a detruso humore vindicare, nisi quidem major, quae linguam a faucibus vel a larynge epiglottidem removere possit, violentia accedat *c*). Ita sane, si ventriculi latex amnii liquori tribuitur, disputandum est: sin ex oris, narium, faucium, oesophagi & ven-

a) *cf. supr. §. XII. n°. IV. Male itaque ex liquoris in ventriculo praesentia ad eiusdem deglutitionem nutritiamque qualitatem concludere solent. cf. & §. VI. n. X. quo & spectat excitata §. XII. n. I. not.* b. *observatio Weissiana, quae, si studiosius perlegatur, amnii liquorem excrementaque a lanionum calcitratione depressa fuisse, docet, & memorabile maxime est, in tenuibus intestinis, prouti quidem meis in casibus, solam, sine ullo amnii liquore bilem haesisse. Summopere itaque sententiam meam, contrariae licet Celeberrimus auctor subscribat, ista observatio corroborat. cf. & Cl.* IO. FRID. KESSEL *diss. qua fetum in utero materno liquorem amnii deglutire defendit. §. 21. Ien. 1751. add.* R. D. GRAAF. *l. c.*

b) *Huc quam maxime facit §. XI. Observatio quarta.*

c) *cf. §. XII. n°. IV.*

ventriculi glandulis secerni cum quibusdam statuamus *a*), sua sponte omnis de liquoris amnii nutritia qualitate disputatio cessat.

VIII. Scroti tumor in plerisque puerorum partubus, observatur. Compressæ procul dubio ex situ in angustiis venæ in cellulosam serum fundunt.

IX. Quoties in partu capitis moles in cylindrum ducitur, occipitis ossa & frontis infra ossa bregmatis mota notavi.

X. In plerisque suffocatis, ceu ex hactenus dictis constat, collectus in encephalo sanguis esse solet *b*). Supra (§. IV.) tamen suffocationis speciem sine sanguinis in encephalo restagnatione persecutus sum.

15.

An a morte pulmones ventriculumque aqua subeat?

In mortuo cane aquam pulmones ventriculumque non subire Cl. EVERS *c*) jam observavit. Idem me in recens natis infantibus expertum fuisse, intelligi velim. Superiorum (§. IV. & XIII.) observationum fetus, cum certo mortuos resciverim, in aquam, ejusdem cum aëre temperiei, illum per viginti quatuor horas, hunc per qua-

a) *cf.* HALLER *Præl. Bœrhaav. T. V. P. II. p.* 353. & *supra* §. *XII. n* ⁰. I.

b) *cf. supra §.* III. *not.* a. *add.* BOERHAAVE. *Prælect. Academ. T.* II. *p.* 346. *Alia omnia sentit laudat.* LANGGUTH. *Disp. cit.* §. *X.*

c) *Diss. cit. Cap.* I. §. 8. *p.* 6.

quadraginta quatuor, eo quidem consilio demersi, ut cognoscerem, an vasorum sanguis, cum propendens funiculus apertus maneat, aqua eluatur. De eadem autem fidelia, ut ajunt, duo dealbavi parietes. Nulla enim aquæ guttula in pendentis ex infantis umbilico funiculi vasa penetravit, nullaque sanguinis guttula ex vasis in aquam effluxit: purissima itaque & intincta aqua mansit. Simili modo nil aquæ in os, fauces, pulmones ventriculumque penetravit. Parem eventum aliquoties in abortivis diversorum mensium embryonibus, per plures dies sub aqua vel vini spiritu mersis, notavi. Concludo itaque.

I. Aqua in submersi cadaveris os naresque sua sponte, ut in ventriculum pulmonesque descendat, non penetrat. In infanticidii saltem quæstione, quando infantis cadaver in aqua reperitur, negligi ista consideratio nequit.

II. Aqua, in quam mortuus fetus demergitur, sanguinem e vasis non eluit. Quodsi itaque in infantis cadavere ex aqua extracto sanguinea vasa cruore vacua reperiuntur, demersionem in aquam hæmorrhagia prægressa est. Quin mortem hæmorrhagia præcessit. Protinus enim a morte umbilici prioris infantis funiculum cum perscidissem, binæque solæ sanguinis unciæ effluxissent, sua mox sponte fluxus cessans omnem in corpusculo sanguinem cohibuit, idemque in posteriori etiam factum fuisse supra (§. XIII.) notavi. E funiculo ergo, quæ vasa exhauriat, hæmorrhagiam infantis cadaver non patitur. Liceat mihi hoc loco crassum, quem in elogiis Medicis aliquoties notavi, errorem indicare. Quum sine deligato funiculo infantis cadaver reperitur, ex funiculi hæmorrhagia, sine majorum cordis vasorum disquisitione (an sanguine turgeant, an vero eodem vacua sint?) infantem periisse temere & præcipitanter concludunt. Quum enim vasa turgent, cessat omnis de hæmorrhagia suspicio: quum vero vacua sunt, ex vivo infante sanguis profluxit: summopere etiam id ipsum post partum factum fuisse probabile est.

Rarius enim in partu hæmorrhagia infantes pereunt. Omni tamen obſervatione non deſtituimur *a*). Abſolute adeo fetum, cujus vaſa ſanguine carent, poſt partum hæmorrhagia periiſſe certam non eſt. Funis ligatura carens nil omnino probat. Poteſt enim facta ligatura decidiſſe, poteſt etiam funiculo ſine ligatura relicto nulla hæmorrhagia inſecuta fuiſſe. Longus relinquatur & aliquot demum a partu minutis, cum refriguit jam riguitque, lapſis, funis præcidatur; ita nil ſanguinis effluxurum fore expertus *b*) ſpondeo.

a) *cf. v. g.* DE LA MOTTE *Tr. des accouch.* L. III. *Cap.* VIII. *Obſ.* 211. *Debilis quidem infans refocillatus fuit. Quando autem femina clandeſtinum partum edit, peritus operator neque matrem juvando partum accelerat, neque debilem infantem excitat.*

b) *Alio loco de inſtitutis circa hoc argumentum experimentis diſſeram. Iis non contradicunt, quæ ſupra §.* VIII. *n*°. V. *dicta ſunt.*

DE-

DECANUS ORDINIS MEDICI

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

I. G. R. D.

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMIQUE MEDICINAE

CANDIDATI

IOHANNIS HENRICI MEDER

DILLENBURGA NASSAVICI

D. XIV. MENS. NOVEMBR. CIϽ IϽ CCLX.

HABENDAM


INDICIT

PRAEMISSIS

DE

SUBMERSIS AQUA

OBSERVATIONIBUS.



OBSERVATIONES DE SUBMERSIS AQUA.

Quam A. 1754. publici juris feci de Suffocatis Saturam, *ulterius refercire eo minus dubito, quo uberiores inde in medicinam forensem fructus deportantur.*

I.

Submersa, sine pota aqua, femina.

In feminæ crapulam, spiritu vini ascitam, vix unquam exhalantis cadavere, in aqua, medio mensis Martii a. 1760. reperto, sequentia deprehendi. (1) Faciem rubicundam & sanguine multum inflatam, viventis similem. (2) Corpus nullibi læsum; sub cute cellulosam & omentum copiosa pinguedine farta. (3) Sana viscera, hepar, lienem, ventriculum, intestina, cor. (4) *Vasa* sanguifera *Viscerum*, musculorum & cutis *sanguine turgida*, & partem intestinorum, quæ pelvim replet, passim inflammatam. (5)

 Pul-

Pulmones sanguine plenos, & maculis sanguinis nigri, tanquam totidem ecchymomatibus, tectos; omni autem *aqua vacuos.* (6) *Vacuum* etiam *aqua ventriculum* & alimentorum aliquid cum spiritu vini comprehendentem. (7) *Vacuum* pariter *os* cum naribus & faucibus. (8) Pericardii cavum parca lympha madidum. (9) Sanguinem ex cavis cordis, vacuis, in majora vasa promotum. Ebriam feminam in aquam delapsam esse rescivi.

2.

Vir, sine pota aqua, submersus,

Hæc altera priori observationi simillima est, quæ nempe in viri cadavere quotidianæ crapulæ dediti &, cum spiritum ingurgitasset, aqua submersi deprehenderim, recenset. Tres autem dies postquam in aqua latuerat, brumali tempore, postridie demum, cum illa extractus esset, dissectum cadaver est. Sequentia animadverti. (1) Corporis cutem albam & sanguine liberam. (2) Corpus nullibi læsum; sub cute cellulosam & omentum copiosissima pinguedine farta. Ultra pollicem crassa fuit pinguedo abdominalis, & crassum omentum in pelvim descendit. Crassa non minus pinguedo thoracis, solida & firma. (3) Sana viscera, hepar magnum cum modice stipato parenchymate. Mesenterium, mesocolon, appendices coli &c. pinguedine impense divites. (4) *Intestina* admodum *inflammata*, & partem eorum, quæ pelvim replet, gangræna totam fœdatam. (5) *Pulmones*, pleuræ pertinaciter agglutinatos, *sanguine plenos*, per omnem substantiam, & in superficie, ex collecto sanguine lividos; omni autem *aqua vacuos:* tracheæ rami aërem solum continent. (6) *Vacuum* etiam *aqua ventriculum*, parvum, contractum, parum liquoris tenacis & rubelli comprehendentem. (7) *Vacuum* pariter *os*, cum naribus, faucibus & aspera arteria. (8) Multum pinguedinis in thorace. (9) Cor magnum &, cum vicinis

nis vasis magnis, spisso sanguine turgidum. (10) Cerebri substantiam sanam & stipatam. (11) *Vasa cerebri sanguinis* multum *plena.* (12) Parum seri rubelli in ventriculos laterales effusi. Neque vasa lacera, neque ipsum sanguinem extra vasa vidi. (13) Reliquos cerebri ventriculos vacuos.

3.

Epicrisis.

1. Sueta suffocationis sequela, sanguinis nempe in venis, pulmonis praecipue & cerebri, notabilis congestio est. Huc & spectant seri effusiones in cerebri ventriculos.

2. Tegitur corpus pinguedine, quod spiritu vini repletur.

3. Ausim fere litem illam componere, quae nostro aevo passim agitatur, *de submersorum in aqua morte.* Olim quidem ex pota & in pulmones hausta aqua submersos perire, nemo dubitabat, donec IOH. CONR. BECKER observationibus aeque, ac rationibus variis probare annisus sit, sine pota aqua submersos mori. Recentissima autem in variis animantibus experimenta instituta veterum denuo sententiam corroborant. Ita vero diversa ista obserta jungo. Quando in animalibus vivis experimenta ita fiunt, ut animal bene valens vigensque in aquam vi demergatur, demersumque detineatur, per metum & inspirandi conatus laryngis pharyngisque organa ita agitantur, ut in pulmones non minus, quam ventriculum aqua trahatur, inspiretur quasi simulque deglutiatur. Quod sane phaenomenon saepius ipse vidi cum Cl. EVERS circa illa pericula versante. (cf. Disp. sistens *experimenta circa submersos in animalibus instituta. A. 1753.*) Idem contingit, quum homo inter easdem conditiones in aquam praeceps fit: cujusmodi binas observationes subjungo. Evenire autem potest, ut rigeant hominis submersi cum reliquis, faucium etiam musculi, ipse mox animo linquatur & suffocatus, ex

 spi-

ſpiritu intercluſo, pereat, ſine illis, per reſpirandi niſus & deglutitionis, in ſalutem moliminibus: qui quidem ſubitaneus interitus facilior contingit quum ex ebrietate aliisue cauſis ſtupor & tenebræ mentem mortisve metum alienaverint. Ita obſervationes, quas BECKERVS recenſet, intelliguntur, binæque, quas deſcripſi: ſiquidem fere ad aquæ frigus, rigore corpora conſtringens & ſtupefaciens, atque ebrietatem redeunt. Eo valentiorem etiam frigoris virtutem cenſeo, quo magis ſpirituoſo liquore corpus turget. cf. & STEPHAN. WEZPREMI Diſſert. *ſiſt. obſervationes medicas. Traject. ad Rhen. a.* 1756.

4. In altera obſervatione ſanguis procul dubio frigoris vi a corporis ſuperficie, inde exſangui, ad internas partes compulſus & ſuffocatio accelerata eſt.

5. Stagnat facilius in obeſo corpore, quam macilento, ſanguis.

6. Hæ etiam obſervationes cum innumeris aliis probant, ſimpliciter ab experimentis, in animantibus inſtitutis, conſectaria ad ea, quæ in hominibus obſervantur, deducenda non eſſe.

7. A morte pulmones ventriculumque aqua non ſubit. cf. *Satur. cit. n.* 15.

4.

Submerſa, cum pota aqua, femina.

Ex infortunio femina, annos quaſi triginta nata, in amne, qui Gottingam interfluit, demerſa ſub finem menſis Septembris a. 1754. periit. In diſſecto cadauere notavi.

(1) (2) Corpus nullibi læſum. (3) Sana viſcera. (4) *Sanguinis in venis* a ſuffocatione conſpicuam *congeſtionem:* modicam ejus quantitatem, qualisque fere in omni cadavere deprehenditur, in extremis inferioribus, nihil in arteriis: modicam etiam & conſuetam in majoribus venis abdominalibus: pleniſſimas vero, anatomice repletis ſimiles, minores æque arterias ac venas, illas ab his flo-

rido

rido colore distinctas. (5) *Pulmonum* acinulos mihi grana mole sua æquantes, omnemque superficiem colore miniaceo tumidisque aëre membranulis distinguentes, præter quasdam obscurioris coloris sedes: maculas porro sanguinis effusi copiosas & in tota superficie dispersas, lividas, petechiis similes, dimidiam integramque lineam latas, quarum maxime ad semipollicis amplitudinem quaquaversum extensæ istas pulmonum & vicini pericardii sedes occupant, quæ a vasorum pulmonalium insertione propiores sunt; quæque notabili sua, lineam æquante, crassitie, *sanguinis largam copiam effusam* esse docent. Sanguis quidem ex perscisso pulmone non effluit, sed omnes pulmonum cellulæ pigmento partim miniaceo, partim *spuma* rubella *factae* sunt, & sanguine vasa turgent. (6) *Ventriculum limpida* puraque *aqua*, cujus pondus quatuor libras superat, totum *plenum* & expansum. (7) *Os*, *nares*, *fauces*, asperamque arteriam cum bronchiis, *aquea spuma* ita *exsuperantes*, ut vel faciem conspurcaret, & compresso pulmone copiosa efflueret. (8) Pericardii cavum lympha flavescente plenissimum; modicam ejus copiam in abdomine, nihil in utroque thorace.

5.

Submersa, cum pota aqua, femina.

Periit femina d. 26. Oct. a. 1754. hora undecima noctis & postridie cadaver dissectum est, in quo sequentia observavi. (1). (2). Corpus nullibi læsum. (3) Sana viscera; nominatim hepar. Intestina tenuia sueto chymo copioso, sine ulla aqua remixto, pariterque crassa scybalis, utraque vero lumbricis & tænia plena sunt. (Tæniam descripsi in Progr. ad diss. D. TRAMPEL) (4) *Vasa sanguifera*, præcipue venosa, modice plena in extremis inferioribus, *plenissima* in capite; sanguine quippe, dum partes externæ, velut musculi faciei, præpararentur, has inundante. In abdomine nihil inflammationis apparet, & venæ præcipue in intestinis tenuibus, modice sanguine livido elevantur; arteriolæ vero florido. Neque etiam inflammatio

matio pericardium, cor pleuramve distinguit. (5) *Incisi pulmones aquam spumosam fundunt.* Vesiculæ totam superficiem, pone membranam communem, aëre plenæ, copiosissimæ, mihi granis similes, pallide rubellæ, ac si tenuis sanguis effusus esset, distinguunt. Interspersa sunt copiosissima ecchymomata, lenticularia, parva, lineam lineasve diametro æquantia; majores vero maculæ, integri quasi rivuli effusi, ad semipollicis diametrum, sunt in sede, quæ majora vasa recipit, & in vicino pericardio. Omnes etiam substantiæ cellulas, minio quasi tinctas, copiosus sanguis floridus replet, congelatus, neque, cum ipso pulmo perscinditur, effusus. (6) *Ventriculum limpida* puraque & chymo non remixta *aqua*, cujus pondus quatuor libras superat, totum *plenum* & expansum. (7) *Os*, *nares*, *fauces* asperamque arteriam cum bronchiis aquea *spuma* ita *exsuperantes*, ut vel faciem conspurcaret, & compresso pulmone copiosa effluceret. (8) Pericardii cavum lympha flavescente plenum; modicam ejus copiam in abdomine; nihil in utroque thorace. (9) Cor, cum vicinis vasis magnis, sanguine turgidum. (10) Cerebri substantiam sanam & stipatam, die licet octavo demum a morte dissectum sit. (11) Vasa cerebri, & plexus choroidis ultra consuetam in omni cadavere portionem, non repleta; copiosas in venis aëris bullas; sanguineas quasdam maculas ad sinum longitudinalem. (12) Rorem in ventriculis, sine ullo sanguinis vestigio, qui in paucas, in fundo guttulas colligitur: (13) In ventriculi dextri parte anteriore maculam ex transmisso sanguine natam, & in sinistro similes exsudati sanguinis strias, venarum ductum sequentes. (14) Tumorem pone occipitis cutem, sanguine suffuso & aqua refertum. (15) Nil aquæ in vagina uteri.

§. 6.

Epicrisis.

Copiosiore sanguine abundarunt pulmones submersorum sine pota aqua, quam in binis observationibus posterioribus; in quibus vero memorabilia sunt ecchymomata petechialia & vesiculæ æreæ.

DECANUS ORDINIS MEDICI
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
I. G. R. D.
DISSERTATIONEM INAUGURALEM
PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMIQUE MEDICINAE CANDIDATI
GEORGII AVGVSTI KOERBER
HANNOVERANI
D. XXIII. OCT. cIↄ Iↄ CCLX.
HABENDAM
INDICIT
PRAEMISSIS
DE
INFANTIBUS IN PARTU SUFFOCATIS OBSERVATIONIBUS.



DE INFANTIBUS IN PARTU SUFFOCATIS.

Quæ de mortuis in partu infantibus, ad collustrandam maxime medicinam forenſem a. 1754. in Progr. de ſuffocatis annotavi, novis abhinc obſervationibus confirmavi, quarum præcipuas ex adverſariis meis recenſebo, tanquam nova propoſitarum doctrinarum documenta.

I.

Puer in partu ex preſſo fune mortuus.

De partu, quo fœtus natus eſt, diſſerui in obſervat. de partu laborioſo XVI. Periit puer ex preſſione funis inter pelvis oſſa & proprium caput dependentis, a cujus demum morte perforatorium applicitum eſt. In cadavere obſervata ſunt. (1) Totum corpuſculum, inflatum quaſi, tumet; duri ſuccis congeſtis artus ſunt; molliuſculum abdomen flatu turgere videtur. 2) Livent facies & ſcrotum, paſſimque corpuſculum inſignes maculæ lividæ diſtinguunt.

 3) In

3) In inguinum regione meconium, in mortis agone procul dubio effusum, cutem fœdat. Humor etiam fuscus naribus, nihil ore, effluxit. 4) *Sanguinis vis maxima in abdomen congesta est:* ita lividum hepar, qua sede ante costas pendet, & in superficie cava, molle, friabile, sanguinis plenissimum, ex facili, membranam externam dimittit; pallidius in convexa superficie, pone costas. Tota expansio peritonei, quæ etiam viscerum membranas format, atque posterior, quæ renes tegit, cunctaque vasa mesaraica sanguinis plenissima sunt, floridi arteriosa, lividi venosa. 5) *Moderatior in thorace sanguinis congestio est;* inflammata pericardium & pleura diaphragma vestiens, superiorem thoracis regionem & pulmones; levissima ad inferiorem thoracis sedem inflammatio est. 6) Cava thoracis sicca sunt: modica liquoris acris, salsi, leviter flavescentis copia in pericardio fluctuat. 7) Sueto more integer & in partes divisus pulmo in aqua subsedit. 8) Distincta quasi anatomica arte in scroto vasa sunt. Inferior pars scroti gelatinæ consistentis plena est. Copiosa materies sebacea inter glandem & cutem latet. 9) Ventriculus plenus pulpæ tenacis, mucosæ, crassæ, pallide fuscæ, versus pylorum rubescentis, cum remixtis exiguis massulis albis. 10) Intestini duodeni membrana villosa, in vicinia ventriculi, tota inflammata & nigris maculis picta est. 11) In duodeno similis pulpa tenax, leviter primum fusca, dein flavescens & parcior fit. Major pulpæ flavescentis copia in jejuno distribuitur. Viridior in progressu intestinorum massa fit, tota viridis in ileo. Meconium crassiorum copiosum vix colore ab ilei contentis differt, pallide viride. 12) Vesicula bilis modice plena, rubentis, parum amaricantis & acris, crassæ, tenacisque cum remixtis flocculis flavescentibus. 13, 14), 15). Ventriculus velut in farcimen vel intestinum contractus est, compressus a parte anteriori ad posteriorem.

2.

Pueri in partu, ex presso, in angusta pelvis apertura, superiore, capite obliquo mortui.

(a) Partus, quo fœtus natus est, ratio exponitur in Diss. *de non damnando usu perforatorii in paragomphosi ob capitis molem. obs. 2.* Observavi 1) 2) Inflammatum scrotum. Livent ungues. 3) 4) *Sanguinis vis in thoracem congesta* est. Lata & copiosa ecchymomata in pericardio & pleura, pericardium tegente, passim in reliquo pleuræ ambitu, & copiosissima in pulmonibus disseminantur. Rami vasorum sanguinis plenissimi sunt, floridi arteriosorum, lividi venosorum. Ecchymomata etiam in cordis superficie comparent, præcipue in vasorum vicinia, quorum etiam ductu sanguis ruber in cellulosam effusus est. Lividi pulmones sunt. Parum sanguinis in arteria aorta est, paulo copiosior in pulmonaria, modica quantitas in aure anteriori, major multo in posteriori. *Plenæ etiam sanguinis sunt partes abdominis.* Lividus lien, sanguine refertissimus. Lividum hepar. Renes rubri & modice inflammati. Ventriculi etiam, intestinorum & vesicæ urinariæ vasa plena sunt. Inflammata est vesicula fellea. Non multum inflammationis in pelvi est. Extremitatum arteriæ vacuæ sunt, plenæ venæ. 5) Venæ jugulares & arteriæ carotides sine sanguine sunt. (Perforatorio dura mater aperta, ossis bregmatis sinistri pars superior extracta, & sinistrum cerebri hæmisphærium, dextro relicto, expressum est). 6) Modica aquæ flavescentis in abdomine, utroque thorace, & parca copia in pericardio est. Sueto more integer & in partes divisus pulmo in aqua subsedit. 8) Liquor gelatinosus, cinereus, cellulosam scroti distendit, cum copiosis vasculis inhærentibus. Testiculi inflammati, cum ecchymomatibus in epididymide, sunt: tunica conjunctiva aquam flavescentem continet. Inter initium epididymidis & testem utrimque varix est. Vasa etiam spermatica sanguinis plena sunt. Liquor albus, modice crassus ex urethra premi potest; 9) Ventricu-

lus plenus muci cinerei, craffi.. 10) 11) In duodeno fimilis pulpa tenax, usque ad infertionem ductus choledochi eft, qua fede naturæ bilis particeps fit, in jejuno fenfim craffior. In colo transverfo parum bilis flavæ & craffæ eft; vix aliquid in colo finiftro: verfus inteftinum rectum meconium formatur pallidum, & ex flavo-viride. 12) Veficula bilis plena, obfcure viridis, rubellæ & tenacis. 13) Copiam muci, qualis in ventriculo eft, trachea & pulmones continent: quo vero œfophagus vacuus eft. 14) Pleniffima urinæ vefica eft. 15) Ventriculus parum inflatus, inteftina collapfa & contracta funt. 16) In vafis fanguineis thoracicis & abdominalibus globulos aëreos inter fanguinis columnas vidi. Vafa etiam fpermatica, cum ejusmodi globulis aëreis, fanguinis plena funt. Natus puer. d. 27. Jun. 1757. diffectus. d. 30. e. m. Nondum autem, ut aër evolvi potuerit, computruiffe cadaver, ex pulmonum pondere (n. 7.) intelligi poteft.

b) Similia fere fub fimilibus circumftantiis obfervavi in fœtu obfervationis 4tæ Dift. cit. Totum nempe corpus rubuit paffim, cum inflato collo, in cujus ambitu fanguis effufus eft. Livent labia oris, lingua & compreffus nafus. Rubent inflatæ genæ, fimile fcrotum, & auriculæ. Sanguinis vis in abdomen & thoracem congefta eft; arteriæ venæque umbilicales fanguine refertiffimæ funt. Modica vifcerum inflammatio eft, hepar ex fufco rubellum. Abdomen liquoris rubri, five potius fanguinis, plenum & inteftina contracta funt.

2.

Puella in partu, ex preffo, in angufta pelvi, capite mortua.

1) Corpufculum fucculentum, bene nutritum, inflatum quafi tumet. 2) Tota cutis florida eft. 3) Infignis tumor ad occipitium & pofteriorem offis bregmatis partem elevatur. 4) *Sanguinis vis*

in

in thoracem congesta est. Omnis sinuum, cordis, & arteriarum majorum superficies ita inflammata est, ut distincta quasi anatomica arte minora etiam vascula sint. Substantia pulmonum incisa in margine florida, in medio livida est. 5) *Vasa etiam viscerum abdominalium, intestinorum præcipue & mesenterii, copioso sanguine turgent*, quin ipsa viscerum substantia sanguine tincta est. Per omnia etiam genitalia inflammatio diffunditur. Mirifice tument sanguine ovaria, multoque, quam in aliis fœtibus, majora sunt, in ipsam substantiam sanguine, ut videtur, effuso. In uteri etiam substantiam sanguis ita sudavit, ut refertissimus cruore sit fundus, vacua cervix & sensim cruoris copia a fundo ad cervicem minuatur. Parcior tamen in utero, quam in ovariis, sanguis est. Notabilis macula, ex inflammatione nata, anterioris labii superficiem distinguit. Sanguinis subfluidi plenæ sunt aorta descendens & vena cava, ex thorace in abdomen migrantes. Dives quoque sanguinis est utraque capsula suprarenalis. Sinistra ecchymosi sanguinis congelati & pertinaciter ipsi capsulæ adhærentis tegitur. Disruptus apex anterior in lacinias quasi defluxit, nato malo ex suffocatione, non autem præparatione anatomica. 6) In pericardii æque, ac utroque thoracis cavo aliquid seri sanguinolenti fluctuat, cujus etiam notabilis copia in abdomine est 7) Sueto more pulmones, collapsi, compacti, obscure rubri, non spongiosi, in acinos conspicuos, lineis e fusco-nigris circumscriptos, distincti, sine ullo vesicularum aërearum vestigio, tum cordi reliquisque thoracis visceribus juncti, tum soli, tum integri, tum in partes divisi, in aqua fundum petunt. Neque perscissa pulmonum substantia sub forfice strepitum illum elasticumque impedimentum edit, quod ab aëre pulmones distendente proficiscitur, neque sectionis superficies spumat. 8) Glandula thymus saturati coloris rubri est, sanguinis succorumque plena. 9) Ventriculus plenus muci albi, tenacis, pellucentis. 10) Modice inflammata est tunica villosa ventriculi. 11) In duodeno mucus sensim flavescit, & ad insertionem ductus choledochi rubet. In jejuno parum muci albi, tenacis & opaci est, qui in ileo flavescit & viri-

 datur,

datur, ſimilis lactis congelati, atque verſus colon flaveſcente & ſemipellucente muco remixtus. Craſſorum tunicæ flavo colore diſtinguuntur à meconio craſſo, primum flavo, dein viridi. 12) Multum cruoris ſubfluidi ex magnis colli reſectis vaſis ſanguiferis arterioſis venoſisque, à parte capitis, profluit. 13) Inſignis tumor ſuperiorem occipitii partem occupat & in latere dextro ultra totum frontis os exporrigitur. 14) Reſecta integumenta multum inflammata ſunt. 15) Dextrum cranii latus integrum inde ab orbita ad medium oſſis occipitis copioſa gelatina rubella tegitur. 16) Pericranium inde à medio occipite ad dimidiam oſſium bregmatis partem & ultra inflammatum eſt. Ad marginem ſuperiorem & ſuper media parte ſiniſtri oſſis bregmatis pericranium totum ſanguinolentum eſt; qua etiam ſede inciſum facile ab ipſo cranio ſecedit, quin paſſim plane non cohæret, ſuperficie inferiore cruore, in ecchymomatis ſpeciem effuſo, veſtita. 17) Ibidem pori cranii, vel media inter fibras oſſeas ſpatiola cruore, affatim, cum cranium premitur, exſudante, referta ſunt. 18) Ad marginem ſuperiorem & ſiniſtrum oſſis occipitis, infra os bregmatis profunde depreſſum, vera ecchymomata parva, nigra diſſeminantur. 19) Pari modo ſugillatio minor, inter pericranium & ſiniſtri oſſis bregmatis angulum, qui in loco poſteriori ſuperior eſt, illius facilem ſeceſſum, cum ſimili, ac in altero latere, exſudante cruore, fecit. 20) Modice inflammatæ ſunt vaginæ muſculorum extenſorum capitis. 21) Facile à cranio dura mater avellitur, ſine cruore eam inter & cranium effuſo, ipſius licet vaſa, maxime in latere ſiniſtro, reliquaque in omni ſuperficie cerebri, etiam qua ſede hæmiſphæria junguntur, ventriculi formantur, & choroides plexus protrahitur, diſtributa, quin cuncta in cerebri maſſam penetrantia, velut ex copioſiſſimis punctis ſanguinolentis, cum perſcinderetur cerebrum, apparuit, ſanguine multum turgeant; preſſionis vim minus duram matrem cerebrumque, quam pericranium læſiſſe, documento. 22) Neque etiam in cerebri ventriculis, notabiliter, tertio præcipue, madentibus, neque ad baſin cranii, qua tamen ſede non minus, ac reliquis, vaſa tum cerebri

tum

tum duræ matris, ſanguinis magnam vim continent, extra vaſa cruor diffuſus eſt. 23) Cerebelli habitus ex cerebro deſcripto æſtimari poteſt, niſi quod ad ſuperficiem tenuiſſimum ſanguinis effuſi ſtratum ſit. 24) Sine ſanguine, vel effuſo, vel ultra conſuetam copiam vaſa inflante, anterior pars baſeos cranii ſuper orbitis eſt.

4.

Puer in partu ex appreſſo pelvi capite mortuus.

Cum ad extrahendum forcipe fœtum velamenta diſcerperentur, multum meconio conſpurcatus amnii liquor effluxit fœtumque jam emortuum, vel ſaltem morti proximum, eſſe patefecit. Preſſus eſt fœtus in partu ad dextram pelvis partem, facie in regionem ſiniſtram inclinata. 1) Corpuſculum ſucculentum, bene nutritum. 2) *Modica vis ſanguinis in thorace eſt.* Trunci arteriarum majores reti vaſculoſo, multum repleto, diſtinguuntur. Nil cruoris ventriculi cordis continent, cujus modica copia in pulmonariis vaſis eſt. 3) Inteſtina tenuia ita inflammata ſunt, ut elegantes & copioſæ vaſorum, arbuſculæ appareant. Hepatis ſuperficies convexa obſcure rubra eſt, ad lobum dextrum maculis lividis variegata. Concava ſuperficies alteram colore obſcuro ſuperat. Interna etiam hepatis ſubſtantia pallide livet & ingrate rubet, obſcuriori ſenſim ad margines livore. Vena umbilicalis, in abdomine cruoris plena, magno & craſſo hepatis ponte tegitur. Livida lienis ſuperficies nigris maculis, & parenchyma, obſcure rubrum, albis maſſulis diſtinguuntur. Turgent cruore obſcure rubro, fluido, venæ cava & iliacæ. Arteriæ iliacæ parum ſanguinis ſubfluidi continent & tunica vaſculis eleganter picta nitent. Sanguine fere vacuæ ſunt venæ brachii & cruris. Modice plenæ ſunt venæ colli & ex carotidibus inciſis aliquid cruoris ſubfluidi a parte capitis depluit. Apprime repleta vaſa thyreoidea glandulam rubore, ſuccis & ſanguine perfundunt. Inſigniter etiam rubent glandulæ ſalivales. Oeſophagus cum pharynge & cardia inflammatus eſt. 4) Modicam liquoris copiam peri-

car-

cardium comprehendit. Madida, fine fero effufo, vifcera abdominis funt. 5) Confueta funt pulmonis obfcure rubri, ponderofi, acinofi, denfi, phænomena. Dum alter pulmonum flatu expanditur, fubito color in grate rubellum mutatur. 6) Nihil galatinæ in fcroto eft. 7) In œfophago parum muci pellucentis, tenacis, craffi, lenti hæret. Ventriculus plenus pulpæ femipellucentis, vifcidæ, fubviridis, maffulis albis mucofis remixtæ. Superficies ventriculi muco craffo, tenaci, pertinaciter adhærente ita tegitur, ut ægrius, & fola conquaffatione diu continuata ventriculique agitatione in aqua, illa mucofa crufta à tunica villofa feparetur. 8) In prima jejuvi parte materies mucofa rubella fit. Sequens pars conftricta ad fuperficiem internam muco albo, craffiffimo, vix humido, velut velamento quodam, obducitur. In reliqua tenuium parte laxa primum materies tenuis, fubfufca eft, quæ fenfim fpiffior fit, tenax, obfcurior, fufca, demum viridis. 9) Aliquid meconii in inteftino cœco eft; univerfum colon inde à cœco ad Stromanum usque conftrictum, vacuum, album, ferpentino ductu cum variis flexuris incedit. S. romanum, in ampliffimam diametrum expanfum, meconio craffo repletur. Prima S. romani flexura transverfa, inteftino cœco contecto, cavam hepatis fuperficiem ad dextrum lobum tagit; rurfusque ad finiftra converfum inteftinum & ad criftam offis ilium finiftri flexum, in dextram pelvis partem fenfim delabitur. In conftricto colo plurimæ rugæ longitudinales deprimuntur. Pars coli & recti ampla & ab expanfione tenuis, meconio craffo, vifcido, tenaci, ex viridi flavo, repletur. 12) Longa veficula fellea marginem hepatis ita tranfcendit ut, in vicinia fundi, margini hepatis extenuato, notabilem fulcum infculpat. Continet fufcum veficulæ cavum mucum tenacem, heterogeneum, e fufco flavum. 13) *Maxima inflammationis vis in capitis partes collata eft.* Dextrum faciei latus livet, & præ oppofito tumet. Eminent quoque palpebræ dextri lateris, quarum conjunctivæ multum inflammatæ funt, cum modica conjunctivarum oppofiti lateris inflammatio fit. Omnis pars fuperior capillitii apprime complanata eft, in latere dextro elatior, de-

depreſſior in ſiniſtro. Siniſtrum os bregmatis, cujus margines marginibus vicinorum oſſium teguntur, mobile multum deprimi poteſt. Inſignis tumor inde ab oculi dextri angulo externo aſcendendo ſuper os frontis, bregmatis dextrum & occipitis protrahitur & ad inferiorem hujus oſſis angulum in ſiniſtro latere finitur. Tumoris mobilis, cum integumentis in dextro frontis latere rugoſis, inflatis, craſſities in medio ſaltem 9. linearum eſt. Multum eminet inferior & poſterior oſſis bregmatis dextri margo; humiles anterior ejusdem & oppoſiti oſſium temporis & occipitis margines ſunt. 14) Sub craſſis capitis integumentis, ad ſedem tumentem, ſimilis ſanguinis congelati, ſubgelatinoſi placenta hæret: Sola gelatina, quæ inciſa in tenuem ſenſim liquorem deſtillat, celluloſam replendo, tumorem in fronte inflat: ad frontis partem ſuperiorem & dextram ſenſim cruor naſcitur, gelatinæ in idem coagulum admixtus. Tres ſaltem lineas maxima coaguli craſſities ad centrum oſſis bregmatis dextri æquat. Longus tumor $4\frac{1}{2}$ poll. ad ſiniſtrum oſſis occipitis marginem vergit, latus $2\frac{1}{2}$. poll. Totum os occipitis gelatina effuſa, & ſuperior bregmatis ſiniſtri pars, juxta ſuturam ſagittalem, ſanguine congelato, pollicis longitudine, tegitur. Inde ad marginem ſuperiorem oſſis frontis ſiniſtri ecchymoſis illa à medio fonticulo 2 pollices in latere ſiniſtro deſcendit. Variis quoque ecchymomatibus minoribus, quæ cum magno coagulo confluunt, os frontis ſiniſtrum ad centrum usque obſitum eſt. 15) Sub livore faciei nil liquoris ſuffuſum eſt. 16) Pericranium, qua ſede ecchymomatibus ſubſternitur, modice inflammatum, cum cranio quidem cohæret, ſed minus, ac alibi, pertinax. 17) Ibidem pori cranii modice, dum cranium premitur, ſanguinem eructant. 18) Sanguine & rubore perfuſa ſunt oſſa cranii, quibus in ſedibus ecchymomata diſperguntur. 19) Nil vel fracturæ vel fiſſuræ cranii oſſa vitiavit. 20) 21) Arcte cranio dura mater, ſine medio ſanguine, adhæret; omnis vero cerebri & interna duræ matris ſuperficies tnnui cruore effuſo veſtitur, cunctaque cerebri & cerebelli vaſa ſuperficiaria ſanguine turgent. 22) Parum ſeri in anteriore utriusque ventriculi apice & productionibus lateralibus

eſt, cujus pellucentis major copia in avis roſtrum defluxit. Infundibulum ſeri ſanguinolenti plenum eſt. 23) Multum cruoris fluidi congelative tentorio cerebelli & baſi cranii æquabiliter incumbit, atque ſub tentorio cerebellum veſtit. 23) Tenues omnis cerebri membranæ ſanguine perfuſæ ſunt.

§. 5.

Sanguinis ab aëre color.

In deſcriptis æque atque aliis pluribus ſuffocatorum cadaveribus memorabilem maxime coloris lividarum partium mutationem animadverti, quum aliquandiu libero aëri exponuntur. Cruor enim vaſis reſectis effuſus, ecchymomata, lividaque ex vehementi inflammatione viſcera, maxime hepar, ſenſim in elegantem & floridum colorem coccineum expalleſcunt, quibus ſedibus nudata aëris contactui offeruntur: quæ vero viſcerum partes aliis teguntur, livorem conſervant. Quin pro lubitu floridam partem tegendo denuo obfuſcamus, lividamque hactenus nudando colluſtramus. Cruor patina à venæſectione exceptus ſeroque liber, ſimili ſucceſſu iſtiusmodi periculis ſubjicitur. Cf. CIGNA in Miſcellaneis Philoſophico-Mathematicis Societatis privatæ Taurinenſis anno 1760. T. I.

Q. D.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA

DE

SIGNORVM GRAVIDITATIS AESTIMATIONE

QUAM

DIVINO AUSPICIO

CONSENTIENTE GRATIOSO MEDICORUM ORDINE

IN

ALMA GEORGIA AUGUSTA

PRO

GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

AVCTOR

GEORGIUS WILHELMUS STEIN

CASSELLIS HASSUS

D. XXIX. MARTII A. CIↃIↃCCLX.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

SIGNORUM GRAVIDITATIS AESTIMATIONE.

Sane multa ſunt, quæ ROEDERERI prælectionibus, Præceptoris æterno mihi pietatis cultu venerandi, debeo ſtudiorum emolumenta. Quare inſtante illo paſſu, quo facienda in Medicina privilegia & Medicorum honores conſentiente gratioſo Ordine amplexurus ſum, non magis profectuum, quam grati animi ſpecimen ex perceptis ab Eo doctrinis, propria meditatione elaborare apud animum meum conſtitui.

Equidem non neſcio, qualis ſit hodiernus rerum uſus, & recepta conſuetudo, ut, qui novi nihil nihilque vel inventi vel inexſpectati habet, de quo agitet, ille parum dixiſſe videatur: Interim aliqualem ſcriptuli uſum æſtimandum eſſe puto, ordini argumentorum & diſperſorum theſaurorum diſpoſitioni dicati, atque laborem in præſenti argumento fruſtra non inſumi. Diſcat, qui neſcit, quam multa ſignorum legantur falſa; quanta ſit hypotheſium erronearum ſylva, quantaque ſignorum temporum ratione graviditatis confuſio. Scitu enim quam maxime neceſſarium eſt, unum, quod tenemus, ſignum, non per omne graviditatis tempus valere. Quædam primis mox a congreſſu horis diebusque fœcundum ejus arguunt ſucceſſum, quum alia viciſſim ſeriora non niſi ſuis temporibus probare aliquid queant.

Summam esse hujus cognitionis necessitatem summamque dignitatem, non est, quod dubitemus: Interest enim nuptæ (*a*), quæ prolis desiderio flagrans, ad levissimam graviditatis notam attendit atque gaudio triumphat, morbo licet nonnunquam abdominali, qualis v. g. hydrops est, aliove laboret: quo casu ipsis etiam medicis incumbit, ut, nisi veritatem exploratam habeant, in medicamentorum exhibitione cautissime agere studeant. Interest familiæ, parentum, vel etiam tutorum, ut de filiæ castitate persuasi sint: quin sunt virgines, quæ optant graviditatem, vel saltim eam prætexunt parentibus eo consilio, ut nubantur illi, a quo se compressas dicunt; sive id eo inscio & invito faciant, sive ejus adhibito consilio: quo parentes ea re ad concedendas inter eos nuptias, quæ alias irritæ forent, cogantur (*b*). Porro interest judicis non raro, qui medici æstimationem petit de femina capitis damnata, suppliciumque graviditatis prætextu eludente: sunt tamen feminæ, quæ carceris pertæsæ graviditatem negant (*c*). Denique interest medici naturæ & sanitatis ministri; quomodo enim hic succurrere, poterit, & regimini gravidarum prospicere, nisi graviditatem cognoscat, & de ea certus sit? Quam ob rem operæ pretium visum est mihi, argumentum medicum frequenter exercens, dilucidandum suscipere.

Verum

(*a*) *Conf.* MAURICEAU *Maladies des femmes grosses. L. I. C. III. pag. 73. seq.*

(*b*) *Conf.* SCHIMPER *Dissert. de sign. gravidit. §. 29. p. 22.*

(*c*) *Exempla vid.* GUTERMANN *Anatom. für Hebammen: pag. 37. Angli She playth her belly. Ita etiam* SCHIMPER *Diss. de signis gravid. §. 30. pag. 22. exemplum recenset Iudææ, capitis damnatæ, quæ omni studio & negabat & occultabat suam graviditatem, & peroptabat una cum fœtu interire, quam permittere, ut infans, forte in lucem edendus, christianæ religionis solennibus innitiaretur.*

Verum de ordine rerum maxime follicitus, quum alia figna impraegnationis poffibilitatem, alia vero factam conceptionem, alia denique ipfam graviditatem ejusque ftatum refpiciant; non poffum quin omnem tractationem in III. diducam fectiones, quarum Ima cauffas notasque fterilitatis muliebris, IIda factae conceptionis figna graviditatisque ftatum, IIIia morbos quosdam graviditatem mentientes; quos accurata fymptomatum disquifitio, quantum id fieri poterit, dijudicabit, conceptus item fpurios, quibus cum vera graviditate magna nonnunquam analogia eft, contineat.

SECTIO I.

§. I.

Naturalis ordo, quem profequuturus fum, ita fert, ut de poffibilitate conceptionis quaerendum primo mihi videatur. Conceptionem, nifi accedant & ponantur debita requifita, ne cogitare quidem fas eft. De ipfo quidem utriusque fexus commercio, ad faciendam conceptionem utique neceffario, & extra litem pofito, conftat. Differam faltem de illa conceptionis muliebris poffibilitate, quae foecundam feminam requirit; fiquidem feminam gravidam non effe facile perfuademur, quum de fterilitate ejusdem, five denegata concipiendi facultate certi fumus. Ne autem fterilitatis ftatim accufentur feminae, quae prole deftituuntur, tenendum probe, proprie dictam fterilitatem impotentiam effe concipiendi foetumque perficiendi in femina (*d*) debitae aetatis, neque nimis tenerae, neque nimis profectae, & viro potente ut, a propria vel organorum genitalium, vel totius corporis laefa conftitutione dependentem. Ita huc non pertinent feminae, quae alias per naturam, propter aetatem in

(*d*) HIPPOCRATES *Libro de fterilibus*, *utero non gerentibus*, ait: „*iftiusmodi feminas fructum nunquam in utero gerere.*

in alterutro extremo vel infantiæ vel senectutis versantur & conceptioni minus aptæ sunt. Neque illæ, quæ non tam propria, quam alterius vel relativa culpa prole carent, sed quæ viro sano conjunctæ non concipiunt.

§. II.

Ex dictis facile apparet, caussam tanti mali semper fere in organorum genitalium tam internorum quam externorum, maxime uteri, tanquam præcipuæ conceptionis & formationis officinæ, læsa constitutione varia latere. Differant licet ista vitia, maxime interna, ex signis quibusdam externis haud facile dignoscenda; conveniunt tamen, quod generationi destinatum viscus, uterum partesque annexas, vel idiopathico vel sympathico modo varie afficiant, & unum eundemque semper effectum, denegatam nempe conceptionem, exserant. Notanter dixi, segregatas non uno modo infœcunditatis caussas esse, idque tam ratione loci, quam indolis. Hoc enim nomine genitalia nonnunquam occupant, quæ dicuntur interna, unde sterilitas idiopathica, absoluta, occulta, vix ac ne vix quidem sanabilis, per omnem ætatem vigens, oritur. Aliæ vicissim sedem suam figunt in genitalibus externis, quæ, quamvis itidem sterilitatem non raro inducant absolutam modo idiopathico, tamen apertæ magis sunt, & quoad maximam partem conspicuæ arteque superandæ. In reliquis denique prorsus singularibus nihil peccat in genitalium organismo, sed habitus saltem debito, i. e. sano & naturali respondens desideratur, uterique inprimis intemperies ex totius corporis analogia culpanda venit (e). Inde est, ut triplicis generis tam occulta,

(e) *Quales caussas Medicorum Parens* HIPPOCRATES *Sect. V. aphor. 62. intellectas videtur his verbis: „Quæ frigidos ac „densos habent uteros, non concipiunt, & quæ perhumidos „habent uteros, non concipiunt; extinguitur enim ipsis ge„nitura: Et quæ siccus (plus æquo) & adurentes: alimenti „enim*

occulta, quam aperta vitia occurrant: omnia vero eo redeunt, ut vel primæ conformationi non sanabili debeantur, vel chirurgiam spectent, vel morbis, quos medici unice curant, adnumerari possint.

§. III.

Protinus itaque dicam de feminis eunuchis, seu quæ a prima nativitate, præcipuo generationis apparatu, utero (*f*), vel ovariis (*g*) carent. Quæ tam enormi vitio laborant calamitosæ, omnem sine dubio renunciant procreandi spem, neque est, ut unquam ipsis tantum reparetur infortunium. Pari cum illis passu ambulant, & pro absolute sterilibus habendæ sunt, quibus tubæ (*h*) fallopianæ dictæ in uterum penitus non sunt apertæ, seu nimis angustæ & adstrictæ. Ita hac hyeme in theatro anatomico apud ROEDERERUM vidi

„enim inopia semen corrumpitur: Quæ vero ex utriusque „moderatam nactæ sunt temperiem, hæ ipsæ proliferæ evadunt.

(*f*) *Conf.* COLVMB. *de re anatom. Lib. XV. pag. 495.*

(*g*) *de quo defectu observationes anatomicæ leguntur apud* COLVMB. *anat. libr. XV.* RIOLAN. *anat. Cap. XXXV.* DALECHAMPIVM *in not. ad Libr. XVII. Athen. apud* SCHENK. VESAL. RIVER. *&* BONET. *passim.*

(*h*) *quale quid præ cæteris accuratius obseruauit* RUYSCHIUS *& annotavit observ. anat. LXXXIII. p. 108. seq. vbi tubas fallopianas summe extensas & in extremitatibus suis occæcatas depingit, addita observatione, tubarum Fallopianarum clausuram haud infimam sterilitatis causam habendam esse. Et* STALPART VAN DER WIEL *Obs. rar. Cent. poster. Obs. 28. Sch. pag. 303. impervias adeo tubas vidisse, vt ne levissimus quidem flatus illas transiret, refert. Icone etiam exhibuit hoc vitium* REGNERUS DE GRAAF. *Tab. 19. fig. 3.*

vidi uterum, cujus tubæ utrinque verſus ovaria clauſæ erant, coalitis fimbriis. Neque difficilis ratio eſt: ſiquidem ex ovario aliquid per dictam illam tubam ſeu ovi ductum in uterum ut aſcendat, neceſſe eſt, quare deſiderata hac via, vel ut tranſire poſſit minus apta, non poteſt non denegari conceptio: Eo minori etiam fructu aliquis huic adeo gravi & abſcondito vitio mederi ſtuderet, quo minus ex ſignis quibusdam externis tanti mali cauſa dignoſci poteſt. Fit porro, ut ſeminalium veſicularum ſtructura aberret, aut membranaciori i. e. compactiori vel carnoſiori obvelata velamento (*i*), vel ipſis ovis craſſioribus cinctis tunicis (*k*). Non tangam vaſorum ſpermaticorum defectum (*l*), exilitatem (*m*), obſtructionem, coalitum (*n*), paucitatem & quæ ſunt alia.

§. IV.

Sequuntur vitia exterius magis locata, explorationi apta, circa uteri orificium & vaginam occurrentia. Etenim ut per vaginam in uterum virile ſemen deferatur, atque ita conceptionis myſterium inchoetur, vias haud præcluſas eſſe debere, cuilibet facile erit perſpectu. Denegatur adeo illis concipiendi facultas, quarum rima orificii uterini transverſa vel in ſitu tortuoſo aut perverſo locatur (*o*); vel

(*i*) *Conf.* DIONIS *Traité general des accouchemens Lib. I. C. VII. pag. 67.*

(*k*) *vid.* GARMANNI *diſſertat. de ovo humano-cygneæ 691.*

(*l*) *Conf.* THEODOR. CRAANEN. *Tr. de homine cap. 162.*

(*m*) *Conf.* VESLINGIUS & GRAAFIUS.

(*n*) *Conf.* FRANCISCI DE LE BOE SYLVII *prax. med. Lib. 3. Cap. 3. §pho 10.*

(*o*) *Conf.* MAURICEAU *Maladies des femmes groſſes Lib. I. C. I. pag. 61.*

vel magnitudine & hiatu tum justo minori tum superante (*p*) peccat. Priori enim casu semen non recipitur, atque altero minus firmatur. Interim his ipsis imprægnatio subinde contingit, siquidem sunt, qui cognita vitii in orificio uterino causa, conjugis situm accommodatum suadent, quo semen versus orificium exacte ejaculetur (*q*).

§. V.

Præter ea cum viis clausis non possit non juncta esse sterilitas, ineptas ad sobolis procreationem esse feminas atretas, seu quæ dicuntur imperforatæ (*r*), facile patet. Et hoc quidem vitium, teste experientia, commune esse maribus & feminis potest, ita ut utriusque sexus infantibus recens natis anus aliquando sit imperforatus, aut parvulis urethra hoc modo in extima parte, ubi glandem per-

(*p*) *de quibus* HIPPOCRATES *Lib. de Natur. Mulieb. & Lib. de sterilibus. In Hist. de l' academ. Roy. des Sciences. a. 1704. n. 13. observatio recensetur, qua interna vaginæ membrana super uteri orificium ita producta erat, vt duobus modo exiguis productionibus linearibus hiaret: in femina sterili lente & cum acri dolore menstruus sanguis profluere solebat.*

(*q*) *vid.* DIONIS *Traité general des accouchemens Lib. I. C. VII. pag. 68. & pag. 70. vbi singularem eius rei habet obseruationem his verbis:* „HENRY II. *fut plusieurs années marié* „*avec Catharine de Medicis, sans avoir des enfans. Le* „*Roi consulta* FERNEL *son premier Medecin, qui apres avoir* „*examiné d'ou venoit le defaut, lui enseigna la posture dont* „*il se devoit servir en caressant la Reine, qui en eut sept* „*tout de suite.*

(*r*) *Imperforatarum exempla & observationes congessit* SCHENCK. *Lib. 4. Observ. med. Obs. 12. 13 & 14.*

perforat, membranula ſit clauſa, de quibus paſſim in Ephemeridibus Naturæ curioſorum exſtant obſervationes: interim proprie hic loci imperforatio ad feminas pertinet, & dicitur ATRESIA illud vitii genus, quo medio quodam intercedente obſtaculo utcunque aditus, qui inter genitalia externa & interna eſſe debet, & feminis per vaginam in uterum acceſſus intercipitur. Eſt autem imperforatio duplex: alia integra, alia ex parte ſaltem vias claudens; atque utraque iterum vel congenita, vel ex morbo quodam chirurgico, vulnere, ulcere, tumore aliove infortunio, ut partu difficili & laborioſo, oborta. Ceterum ipſi imperforationis modi varii ſunt: Aliis interius orificium uteri ex conformationis errore ita clauditur, ut ne veſtigium quidem rimæ transverſalis appareat, ſed hæc ita concreta ſit, ut cavum quaſi cœcum uterus referat. Hæ ſunt, quæ concubitum quidem admittunt, ſed fruſtraneum, nullo enim modo concipere poſſunt, niſi accedat operatio chirurgica, admodum difficilis hoc caſu. Deberi hoc vitium primæ pravæque conformationi, ſi experientiis & obſervationibus (*s*) ſua fides non eſt neganda, in dubium vocari nequit. Interim tenera adhuc ætate primisque a nativitate annis non protinus ejusmodi vitia apparent, ſed demum pubertatis ut plurimum termino, quo feminæ menſtrua pati incipiunt. Tunc enim moliminibus menſtruorum accedentibus ex plethora illa particulari ad pelvim varia oriuntur ſymptomata morboſa, ea-

(*s*) *Natas enim nonnullas eſſe imperforatas recenſet* FABRIC. HILD. *Lib. Obſ. chir. Cent. II. Obſ. 60 & 61. pag. 244. ſeq. it.* DAN. SENNERTUS *inſtitut. med. Lib. 5. P. I. Sect. 2. cap. 7. quod & teſtatur* PLINIUS *Hiſtor. Natur. Lib. 7. cap. 16. fol. 110. Puellæ IV. annorum exemplum narrat* SIM. SCHULZIUS *in Ephem. germ. D. I. an. III. Obſ. 3. p. 5. &* MAURICEAU *duarum, virginis XVII & puellæ IV annorum; in qua vero operationem in profectiorem ætatem diſtulit, mentionem facit Tom. I. Lib. I. cap. I. pag. 60.*

eademque ſubinde vehementia. Colligitur enim ſanguis abundans, qui ſueto more eliminari nequit, in utero, cum abdominis duritie & expanſione, ut hoc nomine graviditatem nonnunquam talia mentiantur (*t*); ſuperveniunt porro, præter jam memorata, præſertim cum temporis mora hæc omnia poſſit exaſperare (ſiquidem ipſa ejusmodi arcana muliebria ſatis ingenioſe celare ſæpius ſtudent), ex læſa digeſtione, borborygmi & crepitus ventris, appetitus irregularis vel depravatus, nauſea, vomitus; inde mammarum tumor, ſpasmi, varia incommoda hyſterica, affectus convulſivi, (qualia itidem fere ſunt ſymptomata in illis, quæ ob corporis conſtitutionem morboſam ſuppreſſione menſium laborant) quin imo ipſa tandem miſera mors; cujusmodi triſte exemplum inter alios refert CASPARUS BAUHINUS (*u*), qui fruſtra applicatio cauterio potentiali, totum, cum vita defuncta eſſet matrona nobilis, uterum ſanguine grumoſo & atro plenum inuenit. Aliis idem orificium membranula obtegitur (*x*), quæ pariter imperforationem patiuntur integram, neque,

(*t*) *Hoc argumentum illuſtrari poteſt hiſtoria a* IOH. MURALTO *in Ephem. germ. D. II. an. III. Obſ. 151. p. 296. recenſita; „Octodecim annorum virginis imperforatæ, quæ tumore in „pudendis laborabat inſigni, cum retentione & ardore vri„næ, ventris duritie circa vmbilicum, & expanſione ad „pubem vsque, conatibus pariendi, vt de impragnatione „nulli dubitarent; ſed re propius perſpecta, mox tumoris „cum pudendorum labiis vndique cohæſio, fluctuatio reten„ti ſanguinis alia docuerunt, & facta demum operatio „omnem virginis periclitantis pudicitiam vindicavit.„ Analogam fere morbi hiſtoriam atretæ cujusdam refert* FABRIC. AB AQUAPENDENTE *in oper. chir. pag. 279. it. in Actis Societat. Harlemenſ. T. V. a.* D. P. SAUJE.

(*u*) *in Theatr. anatom. Lib. I. Cap. 39. pag. 133.*

(*x*) *Conf. Cel.* GEORG. HENR. EISENMANN *Tabul. anat. IV. de utero*

que, nisi chirurgica opem ferat medela, unquam concipiendi facultate præditas fore, æstimandæ sunt, recensitis symptomatibus pariter obnoxiæ. Operatio hoc casu facilior multo, quam quidem priori est. Denique imperforatæ integræ sunt, quibus hymen non perforatus ex toto obducit vaginam, sicque tum menstruis, tum membro virili viam præcludit (y). Quodsi igitur hoc incommodo, onere famoso æque ac commendabili, gravetur quædam, neque alia quacunque ratione, vel ipsa viri cohabitatione, perforetur hymen (z), illud

utero duplici in explicatione *Tabulæ III. sub litt. (o) ubi ejusmodi, præter alia curiosa, membranam satis crassam, extremitatem cervicis uteri, qua in fundum uteri aperitur, instar valvulæ obturantem, in femina quinquagenaria, partum nunquam passa, se observasse testatur, ut ante cervicis dissectionem omnis in cavum fundi uteri transitus denegaretur* MAURICEAU *Tom. II. Obs. 231. p. 189. & Obs. 495. pag. 409. plura exempla una cum operationibus vid. apud* HIER. FABRIC. AB AQUAPEND. *oper. chir. pag. 278.* IOH. ANDREAS A CRUCE *offic. Aur. Lib. 5. cap. 47.* HENR. VAN ROONHUYSEN *Observ. part. I. pag. 102. & 103.* PAUL. BARBETTE *chir. part. I. cap. 13.*

(y) *Conf. supra not. (t).* DILLENIUS *etiam in Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. VII. Observ. 43. pag. 89. de puella sesquienni habet, cui membrana hymen totam vaginam occluderat: In puella octo nata annos* IOH. SCHMIED *in Ephem. germ. D. I. an. III. Obs. 124. pag. 198. & an. IV. & V. Obs. 157. pag. 199. totum pudendum membrana invenit obvolutum, relicto saltem minutissimo foramine. Alia exempla apud* J. DENYS *Verhandel. over het Ampt des Vrœdmeesters. C. I. p. 5. sq. conferri quam maxime meretur* MOSCHIO. *Interpr. Latic. apud* SPACH *Gynæc. p. 30.*

(z) *Id quod referente* FABRICIO AB AQUAPENDENTE *in oper. chir.*

illud vitium incisionem poscit cruciatam, operationem facilem, &c. ne coalescant iterum continui solutiones, turundæ applicationem. Quod attinet alteram imperforationis speciem, quæ ex parte saltem contingit, de illa, siquidem ut plurimum a partium læsione oritur, mox aptiori loco verba faciam.

§. VI.

Supersunt aliæ quædam causæ, quibus haud minus sterilitas adstringitur. Consona hæc vitia localia sunt cum prioribus, atque adeo tum partes impraegnationi dicatas, ovaria, tubas, tum conceptus provinciam, uterum, varie afficiunt, tum denique in exteriori genitalium ambitu locantur: unde est, ut aliis alia sint occultiora, alia vero sensibus usurpanda. Satis nempe compertum habent artis periti, vix aliquid, quin conceptionis statim sequantur turbæ, in tubis fallopianis mutati contingere debere: Quare fœcundæ esse nequeunt, quibus, observante DOLAEO, callo quacunque ratione oborto obstructæ sunt illæ tubæ (*a*), seu quibus calculus quidam in tubis alicubi hæret (*b*). Idem sane nascitur effectus, qui a tubis ex prima conformatione imperviis. Missis reliquis, ex quibus a causa externa, ut abdominis contusionibus, onerum ponderosorum gestationibus, lapsu ab alto, omnibusque in genere excessivis motibus, &c. quæ sunt similia, hæ partes vitium capere possunt, liceat hic saltem pauca enumerare. Tubæ fallopii hydropem dari, compertum est

chir. fol. 278. non potuit præstari, quum accidit cuidam pedissequæ, quam multi scholares frustra tentaverunt deflorare.

(*a*) *se aperuisse feminam sterilem, ait, cujus tubæ callo obsitæ erant; in Encyclop. Lib. 5. cap. 5.*

(*b*) *quin aliam, in qua tubas a calculo obstructas invenit, prouti refert loc. cit.*

eſt (*c*), quamvis valde rarus morbus ſit: frequentius enim multo ipſa ovaria hoc morbo (*d*), cum variis vitiis, nonnunquam ad inſignem ſatis molem usque (*e*) & interdum cum aſcite conjunctim (*) tentantur, ut mirum profecto ſit, cum in ſtatu naturali ſatis parvæ molis ſit ovarium (*f*), minorisque in eo concluſa ovula, in tantam ſub morboſo ſtatu vaſtitatem excreſcere poſſe hydropicum (*g*), ſed tan-

(*c*) *Notavit hunc morbum* BLEGNII *Zod. med. gall. an. 80. pag. 60. &* BRECHTFELD *in Act. Hafn. an. 72. pag. 194. qualem etiam morborum in ovariis & tubarum fimbriis obſervavit & depinxit* RUYSCHIUS *in obſerv. anat. chirurg. Obſ. 83. pag. 109.*

(*d*) *de quo* VESLINGIUS *habet in ſyntagm. anat. Cap. VIII. inſigniora etiam hujus morbi exempla apud* BONETUM *in ſepulchreto collecta legi merentur. cf. etiam* ROEDERERI *Progr. de Hydrope ovarii.*

(*e*) *qualis ovarii hydropici elegantem habet figuram Ill.* ALB. *de* HALLER *faſc. I. icon. anat. Tab. II. fig. I.*

(*) *Cf. Diſſ.* J. J. FEHR *de virgine hydrope utriusque ovarii cum aſcite conjuncto laborante.*

(*f*) *Hæc tamen ovariorum magnitudo neque conſtans neque omnibus eadem eſt; ſed pro individuorum diverſitate modo majora modo minora obſervantur ovaria: etenim* REGN. *de* GRAAF *de organ. mulieb. Cap. 12. „maximam vero, ait, „in iis mutationem facit ætas & coitus, in junioribus namque animalibus minima ſunt, ac in profectioribus majora „evadunt." Speciatim de varia ovariorum mole conferri merentur* ROEDERERI *Uteri humani icones, nominatim dimenſionum ovarii tabulæ.*

(*g*) *Conf.* BONETUS *loc. cit.* SCHENCK *Lib. 4. Obſ. med. &* MAURICEAU *Tom. I. Cap. II. pag. 11. ſe ſiniſtrum ſpeciatim ovarium mole hominis caput ſuperans, XV librarum ponde-* re

tantus eſt in eruendis hujus morbi ſimiliumque adeo latentium ſignis diagnoſticis labyrinthus, quanta eſt ipſius medicationis difficultas. Similem morbum æmulantur interdum ſic dictæ hydatides (*h*), quæ ſunt folliculi, lympha ſcatentes, ex ovariis viciniſque partibus pendentes, & ovulorum ſpecie imperitos fallentes, quales frequenter in theatro anatomico Gottingenſi vidi: fit enim, ut in ingentem aliquando excreſcant molem, & ipſis ovulis fraudi ſint, ſterilitatemque pariant. Denique ovaria nonnunquam ſcirrhis (*i*) laborant, ſive ex culpa jam præſentis ſcirrhi in eorundem vicinia enati malum oriatur, in mali conſortium tractis ovariis, exſiccata ſubſtantia, & turgentibus alias veſiculis, ſucco nunc deſtitutis; ſive ex propria quadam diſpoſitione, orta quacunque inflammatione, non reſoluta, neque in ulcus mutata, hoc malo unum alterumve afficiatur ovarium, quo caſu, pro rerum euphoria fœcunda nonnunquam perficitur conceptio, ſæpius vero, conſpirantibus præſertim aliis morborum vexis, illius ſpes elumbis vellicatur.

§. VII.

De uteri porro vitiis dicturus, præterire non poſſum illud principis medicorum HIPPOCRATIS effatum (*k*), qui pinguiores feminas

re in femina quadam vita exſtincta inveniſſe teſtatur; quam eandem obſervationem curatius expoſuit Tom. II. *Obſervations ſur la groſſesſe &c. Obſ. 383. pag. 318.*

(*h*) *Conf.* REGNERUS *de* GRAAF *Lib. cit. cap. 12. pag. 301.* IOH. MURALTUS *Colleg. anat. Lect. 2. pag. 182. &* NENTERUS *in phyſiol. cap. 2. pag. 44. ſeq.*

(*i*) *ita dextrum ovarium ſcirrhoſum vidit* OTHO HEURNIUS *Obſ. med. hiſtor. 8. pag. 13. Steatomaticum aliud* GOTHOFR. KLAVNIGIUS *in Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. VII. & VIII. Obſ. 64. pag. 141. obſervavit.*

(*k*) *quod legitur Sect. V. aphor. 46. his verbis: „Quæ præter*

 „*na-*

minas negat esse fœcundas: sed errant, qui creduli harumque partium anatomes haud gnari, nimis, huic indulgent asserto, & cum aliis (*l*) potissimum omenti crassitiem, quæ uteri orificium premat, & hanc ob causam liberum virilis spermatis transitum deneget, in culpa habent, vel cum aliis ob nimiam pinguedinis copiam, circa hæc loca speciatim uteri orificium collectam, concipiendi impedimentum inepte derivant (*m*); siquidem nihil substantiæ pinguedinis ullo modo similis per anatomen ibidem locorum detegere valemus, & si forsan hujus pinguedinis aliquid ibi locetur, pauca tamen est, adeoque mollis, ut obstaculo vix esse queat.

§. VIII.

Fide, digniora multo sunt alia sterilitatis intuitu, quæ de uteri morbis dici possunt, ita ut dubium mihi non restet, certissime illas fœcundi seminis vim non percipere, quibus vel ex parte vel totus uterus scirrhosus (*n*) est; quomodo enim uterus obstructus, durus, steato-

„naturam crassæ existentes, non concipiunt in utero, his omentum os uteri comprimit, &, priusquam attenuentur, praegnantes non fiunt".

(*l*) *quale quid intellexisse videtur* PANAROLUS *Obs. med. Pentecost. III. Obs. 10. ubi ejusmodi exemplum feminæ cujusdam ceterum quoad omnem corporis habitum sanæ profert.*

(*m*) *Conf.* DIONIS *Traité general des accouchemens Lib. I. Cap. VII. pag. 69.*

(*n*) *de quo morbo* ROEDERERUS *exposuit in peculiari dissertatione de uteri scirrho, hic Gottingæ habita an. 1755. Eidem causæ ovariorumque siccitati feminarum ætate provectiorum sterilitas naturalis adscribi debet. Conf.* ROEDERERI *Icon. uteri gravidi. Ita &* GERARD. BLAS. *Obs. med. part. 1. Obs. 7. pag. 12. septuaginta annorum virginis mentio-*

steatomaticus (*o*), cartilagineus (*p*), quin lapideus fere (*q*) conceptionem pati, fovere, nutrire illam atque continere potest, quum tamen ad munera hæc fungenda corpus uteri requiratur absolute spongiosum cedensque. Frequens interim malum est, & plerumque ab uteri inflammatione (*r*), quacunque ratione, vel ex partu difficili &

tionem fecit, cujus uterus octodecim librarum pondere pinguedinem referebat cartilagineam. Scirrhosum teterrimi odoris pure repletum TUDECIUS *notat in Ephem. germ. D.* I. *an.* IX. *&* X. *Obs. 176. &* MAVRICIUS HOFFMANNUS *in Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* VII. *&* VIII. *Obs. 127. pag. 296. & ibid.* ANDR. USENBERZIUS *Cent.* IX. *&* X. *Obs. 31. p. 65. de utero toto duro in substantia & scirrhoso vid. Act. med. Berolin. Decad.* II. *Vol. 4. pag. 71. totum scirrhosum, ut cultro, quamvis acutissimo nonnisi vi discindi potuerit,* SIM. SCHULZIUS *refert in Ephem. germ. D.* I. *an.* II. *Obs. 60. bina adhuc similia fere exempla notavit* DETHARDING *in Ephem. germ. D.* III. *an.* VII. *&* VIII. *append. pag. 69. seq.*

(*o*) *Cujus observationem habet* IOH. TACKIUS *in Ephem. germ. D.* III. *an.* VII. *&* VIII. *Obs. 152. pag. 274. Observationes huc spectantes recenset* DENYS *l. c. Cap.* I.

(*p*) *Ipsius uteri substantiam totam cartilagineam refert* CNOEFFELIUS *in Ephem. germ. D.* I. *an.* IV. *& V. Obs. 57.*

(*q*) *referente* SCHENCK *Obs. med. Lib. 4. pag. 608. &* GEORG. HORSTIO *in oper. Tom.* II. *Lib. 2. Obs. 2. pag. 522. De calculis matricis observationes cum judicio collegit* LOUIS *in mem. de l'acad. de Chirurgie. T. V. p. 1. sqq. in quibus passim sterilitas annotatur. Obs.* IX. XII. XIII.

(*r*) *testante* PAULO AEGINETA *de re medica Lib.* III. *cap. 68.* „*in scirrhum induratur uterus, aliquando derepente, nul-* „*la prægressa caussa: plerumque vero inflammatione præ-* „*gressa,*

& frequentiori abortu (*s*), corruptis conceptionibus (*t*), vel alia uteri læsione causata ortum ducit. Neque vero integrum semper uteri corpus gravi hoc vitio laborat; nunc enim unam alteramve partem, nunc fundum, cervicem aliumve locum occupat (*u*). Præterea facile erit perspectu, tantam causam non sine aliorum gravium symptomatum, menstruorum imprimis variarum turbarum (*x*), esse consortio. Observationum huc spectantium sylva fere est, neque dissentiunt in eo auctores, quod hisce præsentibus, juncta esse nequeat concipiendi aptitudo (*y*); eoque minus in hoc argumento dubii hæremus, quum ipsa HIPPOCRATIS auctoritate hæc omnia suffulciantur (*z*). Quod demum respicit hujus morbitam diagnosin quam

„gressa, & neque soluta, neque in abscessum transmu-„tata.

(*s*) *quorum scirrhorum meminit* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* III. *Cap.* XII.

(*t*) *qualem uterum substantiæ partim scirrhosæ, partim glandulosæ, putrida & nigricante materia repletum ex corrupta conceptione vidit* REGNERUS *de* GRAAF *in Ephem. germ.* D. I. *an.* I. *Obs.* 128.

(*u*) *de scirrho insignis magnitudinis, a fundo uteri incipiente, & ad os uteri desinente conf.* GEORG. HORSTIUS *in oper.* Tom. II. *Lib.* 2. *Obs.* 5. *pag.* 62.

(*x*) *de quibus apud* HIPPOCRATEM *Lib. de superfœtatione* §. 13. *& de natur. muliebri S.* II. §. 30. 31. *& alibi passim.*

(*y*) *impeditæ ex scirrho uteri conceptionis mentionem fecerunt* FABRIC. HILDAN. *Obs. chir. Cent.* I. *Obs.* 65. *&* 66. *pag.* 57. BARTHOLINUS *Cap.* II. *histor.* 60. RHODIUS *Obs. med. Cent.* V. *Obs.* 65. *& casum habet* MAURICEAU *Tom.* II. *Obs.* 387. *pag.* 321.

(*z*) *de natur. mulieb. loc. cit. „si indurati fuerint uteri, non „concipit, & passim de morbis mul. spectant huc etiam* MAU-

RICEAU

quam prognosin, qualis accommodata sit medicatio, qualis justus mercurialium usus, hæc omnia atque alia melius ex laudanda de uteri scirrho dissertatione addiscuntur.

§. IX.

Graves etiam morbi uteri hydrops (*a*) & tympania (*b*) sunt. Uteri verus hydrops datur omnino (*c*), sed satis rarus est, atque periodicus, ut vel in cavo uteri, vel spongiosa substantia aqua colligatur, & retenta spasmo oris uteri per intervalla, menstruis interdum periodis evacuetur, interdum vero per insigne temporis spatium contineatur, & graviditatis simulacris & peritissimos sæpe (*d*) decipiat.

§. X.

RICEAU *Observationes Tom.* II. *387 & 418, utrobique enim post partum difficilem obstructio uteri scirrhosa sterilitatem peperit.*

(*a*) *de uteri hydrope proposuit* KERKRING. *lib. cit. Observ. 10. ex* TULPIO, *ubi utrumque uteri cornu novem circiter aquæ purisque libras continuerat.*

(*b*) *cujus morbi bini exstant casus in Act. Haf. Vol.* II. *Obs. 43. pag. 136. Conf. etiam Ephem. germ. D.* II. *an. V. Append. pag. 57.* MAURICEAU *Tom.* II. *Obs. 105. pag. 87. & Obs. 110. pag. 90.*

(*c*) *sie Augustæ in mulieris textricis utero aquæ post mortem una cum multis peritis supra sexaginta mensuras augustanas reperit* ANDR. VESALIUS, *nullibi circa intestina præsente aqua, neque œdematoso in pedibus manibusve tumore. vid. ejusd. Anat, Lib. V. cap. 9. pag. 394.*

(*d*) *fatente ipso* DE LA MOTTE *Traité complet des accouchemens Lib.* I. *Obs. 16. pag. 42. qualem casum etiam habet* BONETUS *in sepulchret. Lib.* III. *Sect. 21. Obs. 55. pag. 1140. & simi-*

§. X.

Neque minori iure ſteriles habendæ ſunt, quæ uteri (e) vel vaginæ ulceribus (f) laborant; quibus polypus alicubi genitalium hæret (g); quibus obſtaculum eſt omnis alius tumor (h), fungus circa uteri cervicem excreſcens (i) & ſarcoma (k) totum vaginæ ambitum occupans, foraſque propendens (l); caro excreſcens (m),

ſimilia multa ſub graviditatis larva annotavit ibid. pag. 1130. ſeq.

(e) *Cujus notatu digna exſtat relatio in Ephem. germ. D.* III. *an.* IX *&* X. *Obſ. 154. pag. 280. ita & uteri cervicis ulcus in muliere juvencula & ſterili obſervavit* FELIX PLATERUS *Obſ. Lib.* II. *pag. 480. & pag. 476. ulceris uteri & veſicæ cervicis exemplum refert. de utero inflammato ex furore uterino, quæ inflammatio ad tubas & ovaria tranſiit vid. Ephem. germ. D.* III. *an. V. &* VI. *Obſ. 124. pag. 253.* HARVEJUS *de partu. p. 370.*

(f) *qualis ulceris in vagina virginis hiſtoria atque ſanatio exſtat in Commerc. Litt. Nor. an. 1731. ſpecim.* VI. *pag. 43.*

(g) *cujus polypi uterini carnoſi meminit* RUYSCHIUS *lib. cit. Obſ. 6. pag. 12. ſeq. quem æque ac alios* RUYSCHIUS *ibid. delineavit. de polypo exiguo in cavitate circa uteri fundum reperto conf. Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* IX *&* X. *pag. 509. & 517.*

(h) *vid.* FABRIC. HILD. *loc. cit. &* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* I. *cap. XXV. p. 181.*

(i) *Conf.* TULPIUS *Lib.* III. *Obſ. med. cap. 33. pag. 247. & cap. ſeq. p. 251. &* KERKRING *ſpecileg. anat. Obſ. 53. pag. 113. ſeq. & Ephem. germ. D.* I. *an. II. Obſ. 121. pag. 199. & ibid. D.* II. *an.* II. *Obſ. 176. pag. 413.*

(k) *cf.* CELSUS *Libr.* VI. *cap. 18. no. 11.*

(l) *de quibus* KERKRING *ſpecileg. anat. Obſ. 53.* BONET. *anat. pract.*

(*m*), maxime carcinodes; clitoridis prominentia major (*n*) & monstrosa, quæque ejus generis alia sunt. Facile quisque, qui horum juncta symptomata, & ea, quæ inde enasci possunt, recte ponderat, persuasus erit, omnem hisce sub vitiis localibus, frequentissime saltem, denegari conceptionem; vel enim mali vis, & indoles maligna, vel morbus comes, & hinc utrumque symptomatum consortium, fœcunditatem recusant, vel & genitalium eo usque, ut insequatur conceptio, commercium fieri nequit, quin atrocissimi dolores summique oriantur cruciatus. Non omnem quidem hæc mala chirurgica curationem respuunt, interim, quamvis sanetur vel tumor, vel ulcus &c. frequentissime tamen contingit, ut aliud supersit incommodum, unde olim denegetur conceptio, prouti memorabile refert exemplum DE LA MOTTE in observatione quadam, ubi per abscessum in latere orificii uteri interni, facta cicatrice, in oppositum latus distortus fuit naturalis orificii situs.

§. XI.

Læsiones præterea partium genitalium, uteri vulnera (*o*), quin ejus

pract. Lib. III. *S.* 22. *Obs.* 7. MEEKREN *Observ. med. chir. cap.* 54.

(*m*) *cujus historia refertur a* CASP. THEOPH. BIERLINGIO *in Ephem. germ. D.* I. *an.* II. *Obs.* 208. *pag.* 310. *de excrescentia, uteri prolapsum mentiente, observationem refert* THOM. BARTHOLINUS *Histor. anat. Cent.* II. *histor.* 58. *pag.* 239.

(*n*) *cujusmodi steriles annotatæ habentur apud* PLATERUM *Obs.* 6. & TULPIUM *Obs. med. Libr.* III.

(*o*) *Conf. Ephem. germ. D. I. an. IX. & X. Obs.* 65. *pag.* 155. *adjecta simul curatione & Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. V. Obs.* 56. *pag.* 87. *seq.*

ejus amputatio (*p*), non possunt non steriles reddere feminas. Supersunt læsiones, quæ sine omni culpa obstetricantis a partu difficili sæpenumero & laborioso partibus genitalium utriusque generis detrimento junguntur. Rarum scilicet non est, feminam partum perquam difficilem passam & superstitem, variis, genitalium habitum mutantibus, malis affici (*q*), cujusmodi speciatim læsiones uteri cervici, orificio atque vaginæ contingunt, quibus fit, ut laceratæ partium fibræ vel totæ concrescant, vel productis laciniis, relictisque hiatibus jungantur, atque adeo vel integra (*r*), vel partialis saltem oriatur imperforatio (*s*). Prophylaxis hujus mali cannula amplior multiforis est, ab istiusmodi partu applicata, quæ quippe coalitus optime præcavet.

§. XII.

Sed futuræ vel conceptionis vel sterilitatis respectu dispiciendum, qualis sit viarum naturalium clausura? quodsi enim atresia orta

(*p*) *Uteri resecti casus refertur a* GEORG. VOLKAMERO *in Ephem. germ. D. I. a. VII. & VIII. Obs. 73. pag. 102. it. conf.* LUD. MICH. DIETERICHS *Rede von einem wahren Vorfall und darauf glücklich unternommenen Absetzung der Gebähr-Mutter. Regensp. 1745.*

(*q*) *Conf.* MAURICEAU *Tom. I. Lib. III. cap. VIII. pag. 400. seq. & Tom. II. passim exstant observationes.*

(*r*) *Conf.* FABRIC. HILD. *Lib. Obs. chir. Cent. VI. Obs. 67. pag. 581.*

(*s*) *quorsum congruentes observationes spectant, quæ passim apud* DE LA MOTTE *Traité complet des accouchemens leguntur, speciatim obs. 337. feminæ cujusdam, cui in partu difficili vaginæ labia &c. dilacerata & coalita erant, per operationem restitutæ. Alii casus huc spectantes augustarum etiam ex naturali conformatione vaginarum in Commerc. Lit-*

ta eſt integra, alia non eſt æſtimatio, quam quæ ſuperius tradita: ſin vero quoad partem facta, futuram, teſtantibus obſervationibus (*t*) & experientia aſſertrice (*u*), conceptionem haud impedit. Scilicet nil impedit, quo minus fœcunda vis ſeminis in uterum & ovaria nonnunquam penetret (*x*). Inter obſtetricatores DE LA MOTTE (*y*) in explicandis hisce phænomenis hypotheſi de aura ſeminali multum tribuere videtur; ſed cum alii (*z*) complures non deſint aliter ſen-

Litterar. Noric. Vol. IV. p. 20. Hiſt. de l' acad. R. d. Scienc. a. 1712. & 1748. p. 58.

(*t*) *Conſ.* DE LA MOTTE *lib. cit. Obſ. 338. ubi in femina, quamvis ex præcedenti partu laborioſo vaginæ cohærentiam paſſa fuerit, nihilominus denuo gravida, eandem inſtituit operationem, qua fœtus excluſio acceleretur.*

(*u*) ROEDERERUS *ejusmodi puellæ exemplum, ad inſtantem usque partum hymene imperforato adeo, ut vix calami craſſitiem admitteret, præditæ, retulit. Analoga hiſtoria legitur apud* MAURICEAU *Tom. II. Obſ. 489. pag. 405. ut & ibid. Obſ. 583. p. 481. Act. Suecic. Vol. XX. p. 180. E. N. C. Dec.* III. *an. 28. Obſ. 83. 489. cſ. Præl.* HALLER. *in Bœrhaave T. V. P. II. p. 183.*

(*x*) FABRIC. HILDAN. *Lib. Obſ. chir. Cent. III. obſ. 60. pag. 224. exempl.* II. *atretæ cujusdam caſum refert, cui, quamvis collum matricis membrana ſatis valida, foraminulis tamen ad expurgandos menſes pertuſa, clauſum eſſet, ſexto poſt factam operationem menſe, infantem ſanum ac maturum genuit, ergo ſemen hoc caſu exigua hæcce foraminula tranſiit.*

(*y*) *Traité complet des accouchemens Lib. I. Cap. V. pag. 27.*

(*z*) *inter quos unice* MAURICELLUM *voco, uti ex ipſius obſervationibus* §*pho Diſſ.* XII. *citatis videri licet.*

ſentientes, facta ſaltem enarrare, omnemque ceterum mittere hanc litem mecum conſtitui.

§. XIII.

Differt operatio pro mali genio: facilis admodum, ſi naturalium viæ media membranula inter ſe cohærent, decuſſatim incidendo illam (*a*), adhibita cautione, ne urinæ iter aliave violentur, turundam immittendo vel ſiccam, vel digeſtivo quodam inunctam, atque faſcia firmando: difficilior, ſi ipſi parietes inter ſeſe concreverunt; tunc enim ſcalpello provide inciſio fieri debet ad lineam rectam, ſatis ampla, medendum hæmorrhagiæ forſan ſupervenienti (*b*), & reliqua perficienda ſunt ad regulas vulnerum generaliores, unde facile patet, difficiliorem etiam multo in uteri ore inſtitui operationem, quamvis fere omnes eædem ſint encheireſes.

§. XIV.

Quibus gravidis hoc malum contigit, illis cautela ſit, ut operationem patiantur ante inſtantem partum (*c*). Caput quidem dolorum vi compreſſum, exteriora verſus tendens, facili hanc ipſam operationem perficere poſſet negotio (*d*); interim præſtat, ut artis ope

(*a*) *qualis* CELSI *methodus eſt. conf. Lib. VII. Cap. 28.*

(*b*) *Conf.* CELSUS *loc. cit. qui linamenta in longitudinem implicita, aceto ſaturata immittere jubet.*

(*c*) MAURICEAU *Tom.* II. *Obſ. 489. hoc caſu monet, ut obſtetrix digito hanc membranam dilaceret.*

(*d*) *cujus rei hiſtoriam recenſet* GUIL. HARVEIUS *in exercit. de generatione & partu pag. 360.* „*Novi, inquit, mulie-* „*rem, quæ a difficili & laborioſo partu integrum vaginæ am-* „*bitum interiorem laceratum atque excoriatum habuit, ad-* „*eo, vt, finito puerperio, licet gravida denuo fieret, ta-* „*men*

ope labia sejungantur, ne fœtus forsan præter necessitatem vel in utero retineatur (*e*), vel violenter prorumpens genitalia laceret. Quæ

„men non solum orificii pudendi latera juxta nymphas coa-„lescerent, sed totius quoque vaginæ cavitas usque ad in-„ternum matricis osculum prorsus connasceretur: unde nec „virili membro, nec specillo quidem ingressus patuit, ne-„que menstruorum fluxui egressus. Instante itaque parien-„di tempore, torquebatur mesella per quam miseris modis, „omnemque spem deponendi sarcinam abiecerat: quare or-„dinatis rebus suis, amicis præsentibus valedixit. Cum „ecce inopinato, robusti admodum fœtus summo conamine to-„tus ille tractus dirumpitur, fitque insperatus partus; & „validus infans, sibi matrique suæ salutis autor existit; „viamque apertam aliis post nascendis reliquit. Idoneis „enim adhibitis remediis, mater pristinam valetudinem re-„cuperavit. Atque aliud ibid. addit exemplum magis me-morabile, his verbis: „Serenissima Angliæ Regina equam „candidissimam, formæque eximiæ dono acceperat: ejusque „genitalia (ne ab equis admissariis initia corporis gratiam, „atque equitandi usum admitteret) equisones (ut fieri so-„let) anulis ferreis infibulaverant. Eadem vero, (nescio „quo pacto, nec custodes mihi nondum judicare poterant) „facta est gravida; tandemque, cum nihil tale suspicaren-„tur, noctu peperit, pullusque vivens mane ad matris late-„ra conspicitur. Id cum mihi nunciaretur, adii illico lo-„cum, vidique ambo vulvæ labia anulis consuta, totumque „pudendum versus sinistrum latus detrusum. abruptum, & „a dextra coxendice laceratum adeo; ut, soluta, per incre-„dibilem fœtus vim, partis robustissimæ unitate, facile ei per ingentem illum hiatum exitus patesceret. Tantus sci-licet est maturi vegetique fœtus vigor & efficacia.

(*e*) *vid.* DE LA MOTTE *lib. cit. obs. 339. & 340. ubi in partium*

 geni-

Quæ restant causæ externæ, levioris momenti sunt: si forsan pudendorum viæ angustæ nimis (*f*), seu vagina arida nimis veneris exercitium ob dolorum in coitu præ voluptate incommodum sperneret, his facile ex indicatione consulitur.

§. XV.

Quum vero concipiendi aptitudo ex fluxu menstruo potissimum dijudicanda sit, & ætatis discrimen semper fœcunditatis ratio sequatur, fieri aliter nequit, quin ex ætate sterilitatem, pariendique facultatem assumemus temporariam. Quem enim fugit, tenerioris ætatis cum nimis profecta ætate eadem esse phænomena: siquidem omnis puella cum vetula sterilis est, quæ media ætate utræque sunt fœcundæ. Quas quidem causas naturales non omni attentione indignas fusius paulo attingere liceat. Lunarium autem purgationum causas explicare vix scopum impleret; hinc maxime de menstruorum termino, quatenus conceptionem & graviditatem respicit, verba facere e re erit.

§. XVI.

Menstruationis tempus pubertatis terminus est: scilicet cum puberes fiunt virgines, sanguinis congestio versus genitalia dirigitur turgescentia, ipsaque effluit. Hoc quidem contingit utplurimum circa annum XIV-XV: interim non omnibus commune idem tempus

genitalium cohærentia semper exercuit operationem, ne partus diutius moretur, sed fœtus citius eo, & minori eum matris periculo in lucem ederetur.

(*f*) *de quo incommodo* MAURICEAU *loquitur Tom. I. Lib. I. Cap. I. pag. 59.*

pus (*g*) eſt, ſed excipiuntur utique, quæ diſpoſitione præ reliquis ſingulari huicque naturali excretionis actui magis minusve adaptata utuntur; quin ſi obſervatorum libros (*h*) evolvimus, mira plane e- doce-

(*g*) *Decimo ætatis anno prorumpentes menſes annotatæ in ſalaciſſima quadam ſunt in Ephem. germ. D. I. an. III. Obſ. 151. ſchol. pag. 274. Idem refert* LENTILIUS *in Ephem. germ. D. III. an. V & VI. App. pag. 119. Undecimo ætatis anno menſtruatas noviſſe puellas teſtatur* DAN. SENNERTUS *Pract. med. Lib. IV. part. 2. Sect. 2. cap. I. & plerumque ſalaces fuiſſe addit.* IOH. RHODIUS *Obſ. med. Cent. III. Obſ. 48. pag. 144. ut &* BAL. TIMAEI *a* GULDENKLEE. *Obſ. Lib. IV. Caſ. 13. pag. 211. virginis meminit, ætatis anno undecimo menſtruatæ, quæ cum duodecimo anno nupſerit, plurium poſtea liberorum mater fuit. Duodecimo ætatis anno menſtruatæ exemplum refert* FABRIC. HILDAN. *Obſ. chir. Cent. II. Obſ. 60. pag. 135.*

(*h*) *Puellarum enim annorum novem & octo menſtruatarum extant obſervationes in Ephem. germ. D. I. an. IV. & V. Obſ. 23. pag. 25. & ibid. D. II. an. V. Obſ. 78. pag. 184. vid. etiam* BARTHOLIN. *Hiſtor. anat. Cent. III. hiſt. 91.* MAURICEAU *Tom. II. Obſ. 392. pag. 230. Act. Hafn. Vol. I. an. 79. pag. 161. Annorum ſeptem & ſex copia pariter obſervationum eſt, in Ephem. germ. D.* III. *an. VII. & V*III. *Obſ. 140. pag. 259. Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. I. &* II. *Obſ. 42. pag. 111. Journal des ſçavans Tom. XI. pag. 138. Ephem. germ. D. II. an. V. Obſ. 78. pag. 184. D. I. an.* III. *Obſ. 114. pag. 185.* KERKRING. *ſpecil. anat. Obſ. 12. pag. 32. Quinque quatuor annorum vid.* BARTHOLIN. *Hiſt. anat. loc. cit. Ephem. germ. D.* I. *an.* VI *&* VII. *Obſ. 63. pag. 91. ut & D.* III. *an.* VII. *&* VIII. *Obſ. 149. pag. 267. Journal des ſcavans Tom.* II. *pag. 39. 112.* TULP. *Obſ. med. Lib.* III. *cap. 36. pag. 256. Aetate*

docemur: partim vero hi casus præternaturales & morbosi *(i)* sunt; partim, quamvis naturales, rari satis, ut valeat hic omnino: *quæ maxima ex parte fiunt, ea maxime secundum naturam sunt.*

§. XVII.

Quibus itaque sueto tempore menstrua contigerunt, iis, ut prolem concipiant, corpus dispositum esse, & cessante fluxu menstruo concipiendi facultatem cessare *(k)*, recte judicamus: quamvis alia nonnunquam, sed rarior, doceat experientia. Iuniores autem quasdam, antequam menstruatæ sint, concipere, non est, quod miremur: siquidem non adeo stricte requiritur, ut menstrua semel & pluries apparuerint, sed sufficit ad concipiendi facultatem, jam adesse dispositionem ad menstrua *(l)*, uterum esse spongiosum, & nisum

tate trium & duorum annorum in Ephem. germ. D. I. *an.* III. *Obs. 114. pag. 185. & ibid. an.* IX *&* X. *Obs. 27. pag. 84.* STEPHAN. BLANCARD. *Collect. med. physic. Cent.* I. *Obs. 81. Unius anni puellæ menstruatæ exstat casus in* STALPART. VAN DER WIEL *Obs. rar. Cent. 1. Obs. 77. Recens natarum exempla leguntur apud* KERKRING *Lib. cit. Obs. 87.* BOHNIUM *Circul. anat. physiol. Progymn. 16. pag.* 243.

(i) *Quorsum puellæ historiam refero recens natæ, quæ menstruum fluxum passa, convulsionibus demortua est. vid. Commerc. Litt. Nor. an. 1734. hebd. XLIV. pag. 347.*

(k) *Quod confirmatur a* GEORG. ERNEST. STAHL *Theor. med. physiol. Sect. I. membr. 8. pag. 384. his verbis: „Excretio „sanguinis menstrui habet illud peculiare, ut cum puberta„te feminina sese exserat, quo conceptioni idoneæ fiunt fe„mellæ, & desinat iterum & evanescat, quo tempore femi„næ concipere desinunt.*

(l) *Quorsum spectat observatum* BINNINGERI *Lib. Obs. & curat. Cent.*

nisum illum adesse, qui præcedere solet menstrua primum erumpentia: id quod exemplis illarum, nimis fertilium, quæ vix peracto puerperio, denuo concipiunt durante lactationis stadio antequam menstrua erumpant, adeoque in perpetua quasi graviditate versantes, hanc excretionem impediunt, illustratur.

§. XVIII.

Incertus autem ultimæ menstruationis finis est, prouti primæ eruptionis vacillans limes: Vulgo quidem menstruationis terminus circa ætatis annum XLV absolvitur, sed pro temperamenti, naturæ virium, similiumque circumstantiarum varietate & hoc naturæ negotium

Cent. II. *Obs. 55. pag. 188. Mulieris cujusdam, quæ juvenis, decimo quarto circiter ætatis anno viro nupsit, mox concepit & peperit, quum teste marito ipsaque affirmante, antea nunquam fluxu menstruo tentata fuisset. Similem feminæ XVI. annorum nondum menstruatæ, tamen gravidæ, observationem habet* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* X. *pag.* 54. & *Tom.* II. *Obs.* 393. *pag.* 326. *Et feminæ* XIII. *annor. quamvis nondum menstruatæ, tamen gravidæ meminit* DE LA MOTTE *Trait. complet des accouch. Lib.* I. *Cap.* IX. *Obs.* XXIII. *pag.* 52. *seq.* & *ibid. Obs.* XXIV. *pag.* 53. *idem refert de femina* XVIII. *annor. Conf. etiam Ephem. N. C. Vol.* I. *pag.* 203. *de* HAHN. *Diss. de morbillis variolarum vindicibus*, & IAC. DENYS *Verhandelingen over het ampt der Vrœd-meesters en Vrœd-Vrouwen Cap.* IV. *pag.* 79. *notat, in asia feminas nonnunquam ante menstrua concipere, & in universum menstrua rariora esse & parciora.* KLEIN *in Libr. de aëre, aquis & locis agri Eibacensis, memorat plures ibi dari feminas, quæ nunquam lunarem ex vulva expertæ sunt purgationem, non impedita fertilitate. S.* II. *pag.* 250. *S.* III. *p.* 184.

gotium differt (*m*), ut vix regulas tradere, & omnem rem curatius determinare quis valeat. Interim hoc probe tenendum eſt, citius eo lunare tributum ceſſare, quo ocyus puella fluxum experta fuerit; In Hiſpania enim ubi mature ſatis hunc fluxum experiuntur virgines, cito etiam deſinit, ita ut XXX. ætatis anno tota frequenter periodus abſoluta ſit. Quo etiam ſæpius femina edidit partum, eo maturius ſemper cum fluxu menſtruo ceſſaturam in ipſa fœcunditatem eſſe: unde etiam fit, ut virgines quam diutiſſime menſibus gaudeant, ſeque illos pati adhuc, quamvis adſeneſcentes, ſæpius, niſi dolus ſit, affirment.

§. XIX.

Ultimum æque finem, ac primam eruptionem variæ moleſtiæ comitari ſolent. Minuitur ſenſim ſenſimque ultimis periodis fluxus, tandem propter vaſorum & fibrarum ſtricturas penitus non amplius apparet. Quamvis vero vterus tum ita comparatus ſit, ut vias claudat, ſanguinique irruenti præpediat iter, plethora tamen peculiaris illa

(*m*) *Miræ admodum apud auctores exſtant obſervationes. Ita ſexagenariæ adhuc menſtruatæ caſum refert* RHODIUS *Obſ. med. Cent.* III. *Obſ. 48. pag. 144. In femina ſexageſimum ſeptimum annum agente menſes obſervatos habet* LENTILIUS *in Ephem. germ. D.* III. *an.* V *&* VI. *App. pag. 118. ſeptuagenariæ mentionem facit* SIM. SCHULZIUS *in Ephem. germ. D.* I. *an.* III. *Obſ. 151. pag. 274. Septuaginta ſex annorum uxoris adhuc menſtruatæ meminit* BRUCKELIUS *in Ephem. germ. D. I. an.* IX. *&* X. *Obſ. 9. pag. 46. Et conferri adhuc merentur Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* I. *Obſ. 42. pag. 110. & ibid. Obſ. 115. pag. 239. ut & Cent.* VI. *Obſ. 74. pag. 333. Feminæ, quæ ab anno ætatis* XIV. *ad annum ætatis* LXXII. *mortemque menſtruum ſanguinem profudit, mentio fit in Gazette ſalutaire a. 1761. n.* X.

illa ad pelvim nondum una fublata eft, quare feminæ valetudinariæ fiunt vario modo; protrahuntur enim congeftiones, ibique locorum facile ftagnantes, non uno modo fymptomata morbofa illis gravidarum analoga, bonas vetulas vana fpe decipientia (*n*), abdominis, mammarum inflationem, naufeam aliaque pariunt: fed dum in vigore verfatur hic morbus, ultima fcena, hæmorrhagia uteri, critice fupervenit, fuccedaneas humorum collectiones expurgans, omnemque ex improuifo bonæ caufæ fpem conterit, quo demum peracto ftadio, aut faufta valetudine fruuntur & obefiores ut plurimum fiunt, aut naturæ viribus deftitutæ, recurrentibus præfertim hæmorrhagiis phthifícis in ipfam phthifin incidunt (*o*) vel apertam vel latentem; aut varii alii morbi fubnafcuntur.

§. XX.

Quamvis autem menftrui fanguinis quantitas pro individuorum natura, integris nihilominus concipiendi pariendique viribus, varia effe poffit; excipiuntur tamen proprie fic dictæ viragines (*p*). Præter illud enim, quod ad virorum naturam fere accedentes (*q*), coloris aliquando fint fufci, corporis compacti, mammarum folidiorum, minorum, vocis gravis, fortiores, hirfutiores, quin barbatæ interdum fiant, vel nullos plane menfes patiantur, vel parciffime faltem menftruatæ fint, quamvis ceteroquin fanæ, uterum habent natu-

(*n*) *Conf.* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* VI. *pag.* 95.

(*o*) *Conf.* ANDR. PASTA *Diff. fopra i menftrui delle Donne Bergam.* 1759.

(*p*) *de quibus* FELIX PLATERUS *Prax. Tom.* I. *Cap.* 14. *pag.* 504. *loquitur:* „*Quibus menfes, quod tamen rarum eft, nun*„*quam fluxerunt, ideo, quafi virilem naturam induiffent, viragines dicuntur.*

(*q*) *Tefte jam* AETIO *Serm.* 26. *Cap.* 51.

naturali modo induratum & quasi scirrhosum, ut hoc nomine concipere nequeant, quamvis & hic non sileant observationes in utramque partem (*r*): omnium instar illud autem tenendum est: rarioribus

(*r*) *Ita factæ conceptionis exempla sine ullo fluxu menstruo antea passo legimus in Ephem. germ. D.* II. *an.* IV. *Obs. 126. pag. 249. matris fœcundæ annorum* XXVII, *quæ quamvis durante virginitate fluxu menstruo laboraverit, per totum matrimonii tempus illo nunquam tentata fuit, licet aliquot peperisset liberos: & ibid. D. II. an. I. Obs. 41. pag. 114. rarus itidem casus exstat trium filiorum matris, nec cum virgo esset, neque in matrimonio, neque per, neque post partum menses aut lochia passæ. Sic etiam de matre omni anno fœcunda nunquam menstruata refert* DOLAEUS *in Ephem. germ. D.* I. *an.* VI & VII. *Obs. 64. pag. 92. & ibid. D.* I. *an.* III. *Obs. 265. pag. 479. femina quædam XXX. annorum sex liberorum feliciter enixorum mater evasit sine ullo fluxu menstruo & ne quidem lochia fudit. & ibid. Obs. 132. pag. 243. de femina loquitur, quæ nunquam habuit menses, quum tamen bis utero tulerit; &* FRAUNDORFFERUS *mulieris cujusdam XXXV. annum agentis in vita sua nunquam menstruatæ, quamvis fœcundæ, meminit in Ephem. germ. D.* III. *an.* VII & VIII. *Obs. 19. pag. 38. & ib. Obs. 41. pag. 65. similis fere exstat casus: bina etiam factæ conceptionis sine ullis mensibus præviis exempla habet* LANZONUS *in Ephem. germ. D.* III. *an.* I. *Obs. 23. pag. 47. seq. Alia multa congessit* SCHENKIUS *Obs. med. Lib.* IV. *plura etiam legi possunt apud* RIEDLIN. *Lin. med. an. 1699. mens. Octobr. 1636.* REUSNER *Obs. med. pag. 99. apud* VELSCH. *pag. 55. & notabilem adhuc historiam refert* FABRIC. HILDAN. *Lib. Obs. chir. Cent. V. Obs. 41. pag. 427. feminæ, quæ septem feliciter peperit liberos, quamvis nunquam fuisset menstruata. Contra viragi-*

bus hisce frequentiora toto die non sisti observata.

§. XXI.

In causas hujus menstruorum defectus dum inquirimus, attendendum, num a dispositione connata ortum traxerit malum, an vero morbus quidam imi ventris potissimum obstructorius praecesserit, qui, nisi jam adsit, facile subsequitur, & quibus omnibus pro rerum facie, morbique euphoria ex suis indicationibus consulendum. Nonnunquam etiam mariti cohabitatione vel conceptione menstruorum clausi fontes aperiuntur (s). Hic multum potest vitae genus & clima-

raginum jure sterilium exstant casus apud SIM. SCHULZIUM *in Ephem. germ. D.* I. *an.* VI *&* VII. *Obs. 159. pag. 224. feminae cujusdam* XXVII. *annorum, nunquam menstruatae, neque cum virgo esset, neque in matrimonio, quae vero nunquam etiam genuit prolem. Ita &* LENTILIUS *in Ephem. germ. D.* III. *an.* VII *&* VIII. *App. pag. 139. in muliere mensium defectum una cum perpetua sterilitate observavit; quod & simile videre licet in Miscell. medic. pract. pag. 249.* HAESBAERT *habet historiam mulieris sterilis, cui neque durante virginitate, neque cum viro nupta esset, menstrua fluxere. Alia multa refert exempla* RHODIUS *Obs. med. Cent.* III. *Obs. 47. pag. 144.* MAURICEAU *Tom.* II. *Obs. 232. pag. 189. feminae sterilis refert casum nunquam menstruatae, hydrope demum exstinctae. Se etiam frequenter feminarum viraginum, quae ad conceptionem per omne matrimonium ineptae fuerunt, casus observasse retulit* ROEDERERUS.

(s) *Conf.* PECHLINUS *Obs. med. phys. Lib.* I. *Obs. 35. pag. 83. seq.* FRANCISCI PAULLINI *Obs. med. phys. Cent.* IV. *Obs. 35. pag. 452. seq. habet de ancilla rustica XL. annorum, quae nunquam antea menstruata, mox primo cum marito concubitu*

climatis differentia. Laborum enim industria sub cœlo præsertim calidiori secretiones reliquas omnes auget, & plethoram ita consumit, ut particularis illa in uterum vel insensibilis vel parca satis sit. Ita enim notum est, feminas rusticas, laborioso vitæ generi assuetas, multum sudantes, vel plane non, vel parum menstruatus esse.

§. XXII.

Verum enim vero, cum ad fœcundam conceptionem ejusque in utero confirmationem menstruorum mediocritatem requiri, doceat experientia; aliæ vicissim dantur fœminæ, quibus menstrua adeo copiosa sunt, ut hæmorrhagiarum nomen potius mereantur (t). Ejusmodi feminæ, cum variis viscerum efficinæ chylificatoriæ vitiis laborent, eademque de causa variis symptomatibus spasticis haud careant, hystericæ plerumque sint, hypochondriacæ, animi piathematibus facile obnoxiæ, latenter phthisicæ, steriles simul habendæ sunt. Quum enim hæc menstrua nullum servent periodum, paucis diebus plus minus, quantitate vero semper justo majori redeant (u), non

bitu menstruata facta est, atque duas dein peperit filias. DE LA MOTTE *Lib.* I. *Cap.* IX. *Obs.* XXIV. *pag.* 53. *feminæ* XVIII. *annorum casum refert, ante conceptionem nunquam menstruatæ, ea vero facta, menses, mox apparuere.* HENR. *a* DEVENTER *in oper. chir. Part.* I. *Cap. XV. pag.* 54. *refert, feminam nunquam menstruatam fuisse, nisi fœcundatam; & in Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* VI. *Obs.* 75. *pag.* 335. *femina ceterum optime valuisse dicitur & virgo fuisse menstruata, post matrimonium menstrua cessasse & solum ab ab impraegnatione diisse, cujus signa fuerint.*

(t) DE LA MOTTE *Lib.* I. *Cap. VI. Obs. IX. pag.* 17. *utriusque generis naturæ excedentes feminas annotavit steriles.*

(u) *Testantibus hæc & similia* BARTHOLIN. *Lib. cit. Cent* III. *Histor.*

non modo nervorum varias imbecillitates patiuntur, & hinc lente contabescunt, sed & conceptionem factam forsan, & per breve tempus retentam, recurrente illo fluxu hæmorrhagiæ uteri æmulo, quasi per abortum, inter primum alterumve mensem utplurimum factum, profundunt, ut hac ratione per complures annos aliquando conceptionis & abortus alterna series sese excipere possit.

§. XXIII.

Similes harum prope modum sunt feminæ, quæ largiori laborant fluore albo (*x*), maxime uterino a partu difficili oborto. Alius enim est fluor albus uterinus, alius vaginalis: Ille in congestione consistit mucosi humoris, albidi, satis diluti, & nisi a partu difficili inductus, metastasi cuidam in hæc loca originem debet, atque ex ipso utero destillat, conceptionem potissimum impediens, quia una cum hoc stillicidio sperma mox ablutum foras elabitur; Hic nulli ætati parcens (*y*), penis catarrho analogus, uberior muci ex vaginæ sinubus secretio est, iterum ex metastasi quadam, vel ex contagio venereo ortus, plerumque cum variis circa genitalia symptomatibus, excoriatione aliisve conjunctus: Quod tamen malum, nisi majori in gradu adsit, conceptionem vix vetat (*z*).

§. XXIV.

Histor. 8. pag. 22. & Cent. II. *Histor. 42. pag. 206. seq.* RIVER. *Obs. med. Cent.* IV. *Obs. 86. pag. 57. aliisque.*

(*x*) MAURICEAU *Tom. I. Lib. I. Cap. I. pag. 58. & ibid. Lib.* III. *Cap. XXII. pag. 460. Sterilitatem a fluore albo una cum melancholia uterina feliciter curatam notat* MURALTUS *in Ephem. germ. D.* II. *an.* I. *Obs. 111. pag. 274.*

(*y*) MATHIAS NESTERUS *enim in Ephem. germ. D.* I. *an.* VIII. *Obs. 25. pag. 46. casum refert puellæ octennæ fluore albo laborantis. Septem & novem annorum puellarum exempla refert* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* III. *Cap.* XXII. *pag. 457.*

(*z*) *Ita apud* MAURICEAU II. *Obs. 178. pag. 141. legimus, mu-*

§. XXIV.

Horum omnium si nulla in feminam cadit culpa, & nihilominus viro nupta matrimonium transigat infœcundum, in relativam inquirendum est sterilitatem; etenim non alterius saltem conjugis, sed utriusque requiritur fœcunditas (*a*). Uterque quidem per se spectatus fœcundus esse potest, minus autem in relatione ad se invicem, quo interdum fieri potest, ut mulier ex alio concipiat viro, maritus aliam impraegnet uxorem.

SECTIO II.

§. XXV.

Quamvis ardua satis & cognitu difficillima res sit, prædicere, num femina sit paritura, nec ne; remotis omnibus contraindicantibus, supra consideratis, omnem in hanc rem figam operam, ut, quoad ex genitalium, uteri potissimum mutationibus, una cum aliis con-

lierem per totam graviditatis suæ periodum fluore albo laborasse. & ibid. Obs. 195. pag. 156. fere idem. & Obs. 218. pag. 175. gemellorum partus meminit, matre per omne graviditatis tempus fluore albo laborante. Verum in Ephem. germ. D. II. *an.* I. *Obs. 111. pag. 279. refertur casus mulieris, quæ per triennium sterilis vixit ob fluorem album, quo laborabat.*

(*a*) *Id quòd videri licet apud* DE LA MOTTE *Lib. cit. Obs.* X. *pag. 17. & alia refertur historia priori similis ibid. pag. 18. Ita &* FORESTUS *in oper. Lib. 28. Obs. 57. refert de femina, quæ, cum ex primo viro non concepisset, postea alteri valde fœcundo nupta, neque tunc impraegnata fuit; verum tertio marito cum copularetur, tunc demum concepit.*

conſpirantibus, vera graviditatis ſigna eruere licitum ſit, indicem, eo quidem ordine, ut totam mutationum viciſſitudinem a conceptione ad finem graviditatis usque juxta tempora hujus ſeriei ventilem.

§. XXVI.

Antequam vero graviditatis criteria exponam, dicendum paucis erit, quod conceptionis opportuniſſimum tempus ſit. Quo loco notandum, feminas quidem omni tempore, quod ſecus eſt ac in brutis, concipere poſſe: maximam tamen concipiendi diſpoſitionem obſervari tempore verno, circa finem aprilis & menſe majo (*b*), atque adeo medio hieme partuum numerum maximum (*c*) eſſe: quin, ſi ita volupe eſt, illud animadvertere non abſonum erit, amplexum inter conjuges matutino potius quam veſpertino tempore fœcundum eſſe, digeſtione nempe abſoluta, atque certiore ſpermatis efficacia. Imo & hæc fœcunditatis lex tenenda eſt, rariſſime ſub ipſum fluxum menſtruum concipere, difficillime ante illum inſtantem, optime autem finito menſtruorum fluxu impraegnationi aptas feminas eſſe (*d*). Quorum omnium ratio facile patet; ſiquidem priori in caſu conceptio una cum menſtruis plerumque eliminatur, quod idem facile contingit ſubſequente mox muliebri purgatione; cum potius menſtruis profuſis, & quieſcente utero, ulterius perfici poſſit generationis opus. Quibus rite perpenſis, intelligi poteſt, quid ſibi velit divina lex, quæ juſſit, ut menſtruationis tempore cum ſuis uxoribus mariti per ſeptem dies non coeant (*e*); nihil nimirum, niſi hominum multiplicationem.

§. XXVII.

(*b*) *Conf.* MALOVIN *Mem. de l' acad. Roy. des ſciences a. 1751.*

(*c*) *In Noſocomio Gottingenſi, in quod egenæ gravidæ recipiuntur, quotannis hanc obſervationem annotavit* ROEDERERUS.

(*d*) *Conf.* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* I. *pag.* 61. DIONIS *Traité general des accouchemens Lib.* I. *Cap.* VIII. *pag.* 73.

(*e*) *vid. Bibl. ſacr. Levit. cap. XV. v.* 19.

§. XXVII.

Ipſa autem factæ conceptionis ſigna varia ſunt, neque in omnibus eadem obſervantur. Probabilis ejusmodi nota a compluribus habetur utriusque ſexus ſenſus quidam peculiaris voluptatis (*f*) ſub ipſo coitu (*g*) ad exſtaſin nonnunquam accedens, quique in feminis major putatur & (*h*) a copioſiori in hæc loca humorum orgasmo, a genitalibus turgeſcentibus, uteri & vicinarum partium rigore derivatur (*i*). Gradu differt hic ſenſus, quin feminarum quædam animo linqui ſolent. Quo vero gratior in viro eſt perceptio, eo majorem ſeminis fœcundi vim innuit. Verum non eſt, ut ſoli huic ſigno tribuamus fidem; fallere enim poteſt ob conjugum ignoran-

(*f*) *Conf.* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* III. *pag.* 68. DIONIS *Traite general des accouch. Lib.* I. *Cap.* VIII. *pag.* 73. DE LA MOTTE *Lib. cit. Cap.* XVII. *pag.* 89.

(*g*) *Qualis ſenſatio in ſua praxi haud ignota fuit Poëtæ* OVIDIO, *qui ita cecinit:*

Ad metam properate ſimul, tunc plena voluptas;
Cum pariter victi fœmina virque jacent.

(*h*) *Num gratiorem titillationem ſentiat femina an vir, controverſi ſunt auctores. Majorem maris quam feminæ in congreſſu affirmat* HIPPOCRATES *de genitur. oper. ſect.* 3. *fol.* 12. „*multo minus delectatur femina quam vir, ſed diu-* „*tius ipſa perdurat in voluptate: & idem judicat* MARCELLUS DONATUS *de med. hiſtor. mir. Lib.* 4. *Cap.* 17. *pag.* 369. *aliique. Contrarium vero autumant cum* GALENO & AVICENNA PAUL. ZACCHIAS *in Quæſt. med. legal. Lib.* 3. *Tit.* I. *quæſt.* 7. *no.* 14. *ſeq.* WEDELIUS *in Diſput. de venar. medic. & morbifer.* 1684. *habit. Cap.* 2. *pag.* 13. & *omnes fere recentiores.*

(*i*) RUYSCHIUS *obſervavit illam turgeſcentiam & veram quandam*

rantiam & feminarum quarundam ſenſationis hebetudinem (*k*); & contra ob nimiam clitoridis ſenſibilitatem ſine facta conceptione quædam ejusmodi voluptatem ſentiunt; quum aliæ viciſſim ſine iſtiusmodi grata perceptione concipiunt (*l*).

§. XXVIII.

Veteres, qui ſedem ſpermatis muliebris in veſtibulo ante hymenem poſuerunt, quo tamen loco ex ſinubus in æſtu venereo cum voluptate profunditur humor ſaltem mucoſus, de ſimultanea utriusque ſexus ſeminis ejaculatione multa jactarunt, ut exinde congreſſus fieret fœcundus (*m*); ſed hi audiendi vix ſunt.

§. XXIX.

dam genitalium internorum inflammationem, in mox poſt concubitum occiſa femina. cf. Ill. DE HALLER *Præl. in* BOERHAAVE *T. V. P. II. p. 113. ſq.*

(*k*) *Conf.* FELIX PLATERUS *Obſ. Lib. I. pag. 260. ubi cujusdam meminit, quæ ne quidem a primo matrimonialis concubitus actu ullam jucunditem ſentiebat. Interim de duabus ſterilibus, citra ullum voluptatis ſenſum congreſſum patientibus, in quibus internum uteri orificium coalitum, & in ejus collo nullæ deprehendebantur rugæ exſtat in Hiſtor. morbor. Vratislavienſ. an. 1702.*

(*l*) *Conf.* MAURICEAU *Tom. I. Lib. I. Cap. III. pag. 68. vid. etiam* NICOL. VENETTE *Tableau de l' amour conjugal ou de la generation de l' homme Tom. II. Part. III. Cap. IV. Art. III. pag. 60.*

(*m*) *Conf.* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap. II. pag. 64. &* DIONIS *Traité general des accouchemens Lib. I. Cap. VIII. pag. 73. Huc pertinet* OVIDIANUM *Odi concubitus; qui non utrinque reſolvunt.*

§. XXIX.

Fallere etiam possunt, quæ veteres hypothesi HIPPOCRATIS (*) innitentes de seminis in utero retentione senserunt, ita ut illud non modo quoad omnem massam in uterum delatum, sed & per tempus quoddam asservatum voluerint (*n*): Omnis enim seminis quantitas ut in uterum deferatur & retineatur non opus est (*o*), siquidem semper effluit illius quædam pars, sufficitque si pars liquoris MAURICEAU, credendum non esse, effusa quadam seminis portione, fore ut fœtus nasceretur imperfectus, cui vel hoc vel illud deficiat membrum (*p*): quamvis in eo erret, quod viri siccitatem, quæ seminis in utero moram arguit, (hinc saltem adjungenda conceptioni) pro signo

(*) *Lib. de genitura.* „*Postquam autem coivit mulier, si quidem conceptura non est intra seipsum, pro more foras procedet genitura ab utrisque, ubi femina volet. Si vero conceptura est, non procedit foras, sed manet in utero genitura.*

(*n*) ARISTOTELES *in Histor. animad. Libr. VII. Cap. 3. ait:* „*si semen in septimum diem intus permanserit, conceptum jam esse, certum est.* RODERICUS a CASTRO *de Natur. Mulier. Lib. III. Cap. 14. pag. 150. terminum illum breviorem multo præfinivit, quando ait:* „*Cum semen virumque in utero constiterit, neque intra septem post ejaculationem horas fuerit effusum, sed uteri calore conservatum, feminam concepisse credendum est, & tunc gestationem ac fœtus formationem incipere.*

(*o*) *Conf.* DIONIS *Traité general des accouchemens Lib. I. Cap. VIII. pag. 74. id quod idem apud* DE LA MOTTE *Traité complet des accouchemens Lib.* I. *Cap. V. pag. 27. & 29. seq. legitur. Ceterum hypothesi auræ seminalis indulgere videtur.*

(*p*) *vid.* EIUSDEM *Tom. I. Lib. I. Cap. II. pag. 65.*

ſigno nimis probante habeat (*q*); quum tamen fallere hoc indicium poſſit, quod vaginæ rugæ & corporis ſitus moram illam mentiri valeant.

§. XXX.

Ceterum phænomena paucis a conceptionis tempore minutis elapſis, nonniſi a ſagacioribus feminis obſervata ſunt. Dolor quidam quaſi levioris colicæ circa umbilicum (*r*), abdominis inflatio, ſpaſtica tenſio & repletio, motus & calor vagans in infimo ventre, quem excipit horror totius fere corporis, artuum tremor, inſequente levioris frigoris ſenſu: Quin languent paulo poſt feminæ, moroſæ fiunt & animo dejecto, propter artuum laſſitudinem, quietem, otium & vitam tranquillam amant; in utero motum quendam inflationis quaſi per aliquot temporis minuta percipiunt, vel ac ſi borborygmi in eodem vagarentur; imo ſtudioſiores paulo feminæ ipſum quendam, in inferiori abdominis ſede, motum transverſum verſus unum alterumve latus, ex ovario ad uterum tendentem nonnunquam obſcuro modo diſtinguunt; aliæ vero barborygmis a novo ſtimulo & ſpasmo univerſali ex inſueta irritatione & ſanguinis influxu inductis, vexantur (*ſ*). Quæ omnia, uti facile eſt cenſendum, tanquam ſubtiliora, feminarum vulgus vix notat.

§. XXXI.

(*q*) *it.* EIUSDEM *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* III. *pag. 68. qua de re illum inculpat* DIONIS *Lib. cit. Cap.* VIII. *pag. 73.*

(*r*) *De hoc ſigno conferendi ſunt* AMBROSIUS PARAEUS *Lib.* XXII. *Cap. V.* VAN HORN *Siphra und Pua im* IV. *Capit. des erſten Theils pag. 13.* DE LA MOTTE *Traité complet des accouchemens Lib.* I. *Cap.* XVII. *pag. 89.* HÜCKEL *diſſ. de vomitu gravidarum. Francof. ad Viadr. an. 1733. §. 4. & 6. &* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* III. *pag. 68. illum dolorem ita deſcribit, ut quaſi ſit un broüillement du bas-ventre.*

(*ſ*) *Conf.* ROEDERERI *Elem. art. obſtetric. §. 138. pag. 60.*

§. XXXI.

Manifestiora hæc licet sint, vix tamen nisi ab illis, quæ corpus habent teneroris fabricæ, mobilioribus nervis, & adeo majori sensibilitate præditum, recte observantur. Factam porro conceptionem fœcundus amplexus arguit, si postridie femina morosa de anxietate quadam insolita conqueritur, ut se morbi cujusdam prodromis tentari credat, abdomen simul spastice tumet, & tactui duriusculum se præbet, quo tempore sibi maxime cavent; ne forsan valide nimis contra illud impingant (*t*), nihil enim ponderis ne quidem incumbentis ferre tunc possunt.

§. XXXII.

Verum quærendum hic loci est, num orificium uteri clausum factam conceptionem denotare valeat? sunt quidem auctorum multi, qui HIPPOCRATIS (*u*) auctoritate insistentes hanc notam infallibilem aestimare conantur. Sed notandum, uteri quidem gravidi a virgineo vel non gravido mutationes (*x*) non paucas satisque notabiles esse; interim de HIPPOCRATE præsertim illud tenendum est, explorationem illis temporibus nondum moris fuisse, neque ipsum illam exercuisse; sed ex sola hypothesi natum signum esse. Putarunt

(*t*) *Conf.* ROEDERERI *Elem. art. obstetric.* §. *138. pag. 60.*

(*u*) *Sect. V. aphor. 51. ait: „Quæ in utero gerunt, harum os uteri clausum est.„ Prouti nec majorem invenio veritatem ibid. in aphor. 41. „Mulierem si velis cognoscere, an prægnans sit, ubi dormitura est, (incanatæ) aquam mulsam bibendam dato: Et si quidem tormen habeat circu ventrem, „ prægnans est: si vero minus, prægnans non est.*

(*x*) *Conferri merentur de hoc argumento, quæ* ROEDERERUS *in iconibus uteri humani exhibuit.*

runt nimirum, uteri os recipere sperma virile, quo cum feminino commisceatur; unde illud semper avidum spermatis hiansque atque apertum crediderunt; (quin imo, obviam ire membro virili descendendo adhuc recentiorum nonnulli (*y*) afferunt) post conceptionem vero & sitim veneream quasi exstinctam clausum esse orificium defenderunt. Verum clausum æque est orificium ante ac post conceptionem, exceptis ultimis graviditatis hebdomadibus, instante partu. Partium in congressu rigor propter irritationem procul dubio aperit orificium, a conceptione rursus claudendum. Sed in femina etiam virgine non gravida semper clausum dici potest hoc orificium, quare nihil probat. Neque externa orificii apertura clausa est in illis gravidis, quæ ad medium usque graviditatis terminum nonnunquam observantur menstruatæ; neque in illis quæ partum jam aliquoties ediderunt, exacte clausum est, ita ut circa rimam transversam reflexa labia observentur, quin exploratoris quandoque digitus in ipsum uteri cavum ultima periodo penetrare, atque fœtus caput tangere aliquando possit.

§. XXXIII.

Inchoata autem conceptione novus ille stimulus (§. XXX. seq.), seu systematis nervosi mutatio, varia feminis, præsertim tenellis, symptomata parit morbosa, maxime ex abdominalium genere, quibus vehementer nonnullæ laborant; aliæ vero robustiores & validiores minus a nova ista nervorum mutatione afficiuntur, neque prius quidquam patiuntur, quam menstrua desierunt, quin in hystericis & hypochondriacis, si facta fuit conceptio, silente quasi, quem ante gra-

(*y*) *vid.* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* I. *pag.* 57. *& ibid.* *Cap.* II. *pag.* 64. DIONIS *Trait. gen. des accoulh. Lib.* I. *Cap.* VIII. *pag.* 73. DE LA MOTTE *Trait. compl. des accouch. Lib.* *I. Cap. V. pag.* 27.

graviditatem expertæ sunt, morbo, priora symptomata plerumque vel minuuntur vel penitus cessant (z). Indicandum hic omnino est, an forsan aliæ horum phænomenorum lateant causæ, atque larvis suis speciem conceptionis mentiantur, quæ tamen ipsæ morbum proprie sistunt, nosque falsunt, siquidem hæc ex morbosis affectionibus desumta signa nonnisi probabilia sunt. Sane illud non infrequens omnem artis etiam versatissimi poscit attentionem, ut vix hisce similibusque fides tribuenda sit, nisi in illis feminis, quas crebro repetita observatio certiores fecit: imo certiores aliæ nonnullæ evadunt, quibus hoc vel illud signum quamvis paradoxon satis contingit (a). Ita aliæ iteratis observationibus innitentes se gravidas esse colligunt, si assumtum quoddam purgans effectum denegavit; aliæ vicissim, si solito fusius virtutem suam exsequutum est.

§. XXXIV.

(z) *Ejusmodi exemplum* VOELLTERN *refert neueræffnete Hebammen-Schule, &c. pag. 11. quin miræ Epilepsiæ hoc modo sanantur, quibus feminæ & pro dæmoniacis habentur. Conf. Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* I. *Obs. 23. pag. 80. item Cephalæa chronica. Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* III. *Obs. 13, pag. 297.*

(a) *Ita in Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. I. Obs. 45. pag. 114. mentio fit cujusdam feminæ, cui hæmorrhagia ex bregmate sinistro singulis vicibus certo graviditatis signo fuit, ubi & plura alia exempla collecta sunt.* GEORG. HOYER *in Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. V. & VI. Obs. 75. pag. 335. feminæ meminit, quæ menses quidem in virginitatis adhuc annis ordinarie, nunquam vero post matrimonium contractum, nisi tempore graviditatis & inchoatæ conceptionis observavit. Similem observationem* DEVENTER *recenset. In Gazette salutaire. n.* II. *1762. annotatus casus, quo femina quatuor priores menses quoslibet undecim gestationum hydrophoba fuit eo gradu, ut vel visum auditumque soni vel murmuris*

§. XXXIV.

Verum quæ vulgo obſervantur ſymptomata ante menſtruorum ceſſationem, quorum quædam circa ventriculum, alia partim circa hypochondria, partim circa ipſum uterum naſcuntur, alia vero totum corpus afficiunt, ſolent eſſe, nauſea, vomitus, appetitus proſtratus, immodicus, varie irregularis, pica, carnium faſtidium, iracundia, mœror, triſtitia, ad labores pigritia, virium languor, quin fractura, animi deliquia, ſomnolentia, affectus melancholici, viri faſtidium, oculi retracti, lividi, turbidi, dolentes, palpebris languentibus, a muſculis vix ſuſtentis, cum circulo circa easdem livido ſeu flaveſcente, dentium dolor, ſalivæ copioſa excretio, faciei puſtulæ; &c. quæ omnia excipit ſuo tempore menſtruorum emanſio, unde oborta plethora oriri ſolent cephalagia, faciei rubor & inflatio, dentium dolor, vertigo, artuum tremores, ardores volatici circa ſuperiora imprimis; in aliis vero pallores, ephelides, puſtulæ item in facie & collo, imprimis autem circa ipſam frontem, imo naſus quaſi flava vernice tinctus. Et temporis ſucceſſu accedere ſolent alvi ſegnities, quin ejus obſtipatio cum variis tenesmorum incommodis ab incumbente gravius uteri ſarcina in ipſum inteſtinum rectum. Ita & ultimis graviditatis menſibus umbilici elevatio, ut quaſi deletus appareat, pedum tumor œdematoſus a preſſione vaſorum iliacorum & circulo humorum impedito, ut & eorum ſtupor quaſi cum ſingulari laſſitudine, unde & ingreſſus difficilis, crurum pedumque ſpasmi tempore nocturno potiſſimum ſummo interdum dolore juncti (*b*), inguinum & lumborum dolor, renum etiam,

qua-

muris aquoſi ferre nequiverit. Sua ſponte malum qualibet vice rurſus evanuit. De potu vel alimento liquido ne cogitationem quidem fovere poterat.

(*b*) *Madame* BOURGEOISE *Part.* I. *Cap. IV. pag. 64. edit. germ. de ſe ipſa dicit, ſe gravidam acerbiſſimum ex ſpasmis pedum dolorem ſenſiſſe.*

quales a nephritide, quin quibus abdomen multum propendet, ponderis quasi circa pubem molesta sensatio; varices non minus in valvularum praecipue sedibus, lividae maculae, sugillationum instar circa crura, urinae reddendae difficultas cum summo stimulorum incommodo (*c*), vel ejus incontinentia, pectoris angustia, respirandi molestia (*d*), ventriculi dolores, intestini recti prolapsus aliaque.

§. XXXV.

Summo jure factae conceptionis & incipientis graviditatis signum menstruorum cessatio habetur. Quum vero natura non faciat saltum, inde non sequitur: Menses emansere; ergo concepit: quamvis hac ratione saepius caeteris paribus concludere valeamus, & feminae terminum, unde calculi initium sit, inde sibi ponant (*e*). Notandum enim est, menstrua primo mense saepe non sisti (*f*); quin in gravidis plethoricis & aetate junioribus cum euphoria fluere posse (*g*), ita tamen, ut sensim sensimque copia decrescant. Imo in dubiis

(*c*) *Conf.* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap. XV. pag.* 138.

(*d*) *Conf.* EIUSD. *Cap.* XVI. *pag.* 141.

(*e*) *Conf.* ROEDERERI *Diss. de temporum in graviditate & partu aestimatione* §. III. *Gotting. an.* 1757.

(*f*) *Menstruorum naturalium fons ipse uterus est. Haec ergo in graviditate locum habere non possunt. Quodsi vero nihilominus primis fluunt mensibus, ex spongiosa nunc cervicis uteri substantia, & speciatim ejus sinubus mucosis, dilatatis oriuntur. Ipse* ROEDERERUS *saepius observavit, ex cervice liquorem rubellum in gravidis profluere; ergo non est, cur denegare conemur cervici, vera profundere posse menstrua, siquidem ab isto humore saltem gradu differunt.*

(*g*) MAURICEAU *Tom.* II. *Obs.* 168. *pag.* 132. & *ibid. Obs.* 388. *pag.* 322. *ut & Obs.* 606. *pag.* 498. *in Ephem. germ.* D. I. *an.* IX. & X.

dubiis constat observationibus, fluxum illum in valde plethoricis ad medium graviditatis terminum usque nonnunquam sine ulla noxa protrahi (*h*), quin ultra (*i*), & inde sæpius evenit, ut prœmaturus aliquando habeatur partus, qui justam noni mensis solaris explevit periodum. In aliis vero ejusmodi serotina menstruatio non caret aliquando gravioribus symptomatibus (*k*), fœtus periculum subest (*l*), atque abortus (*m*) minatur.

§. XXXVI.

X. *Obs. 29. pag. 86. exstat casus de ejusmodi stillicidio uteri in gravida tam matri, quam fœtui inoxio.*

(*h*) *Conf.* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* III. *pag.* 72. *quo loco notat, feminam re vera gravidam ob superstitem menstruationem talem non indicatam, supplicio traditam fuisse. it.* DE LA MOTTE *Lib.* I. *Cap.* IX. *Obs. 26. pag. 56. & ibid. Obs. 24. pag. 53. casum refert gravidæ, nondum antea menstruatæ, elapsis aliquot mensibus, quibus in utero gesserat, menstruatæ factæ.*

(*i*) *Conf.* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* XX. *pag. 155. ubi, se feminam novisse, narrat, quæ ad sextum usque graviditatis mensem suetis periodis menstrua adhuc profudit. &* DE LA MOTTE *Lib.* I. *Cap.* IX. *Obs. 25. pag. 55. feminæ gravidæ septimo adhuc mense menstruatæ casum refert.*

(*k*) *Qualem fluxum in gravida gravissimis cum symptomatibus, virium prostratione, tussi, respirandi difficultate, doloribus dorsi, lumborum, una cum metu abortus notatum legimus in Ephem. germ. D.* II. *an.* I. *Obs. 110. pag. 271.*

(*l*) *Monente* HIPPOCRATE *Sect. V. aphor. 60. „si mulieri in utero gerenti purgationes prodeant, fœtum sanum esse impossibile.*

(*m*) *de menstruis in gravida & aliis gravissimis symptomatibus cum abortu vid.* FABRIC. HILDAN. *Lib. Obs. Cent* III. *Obs. 59. fol. 243.*

Eee

§. XXXVI.

Porro & illud æſtimandum eſt, utrum ex alio cauſarum morboſarum fonte menſtrua ſubſtiterint, ubi ſemper circumſtantias quasdam morales ponderare neceſſe eſt. Medici enim & ingenium judicium vigilet hoc caſu, ne femina fumum ſibi vendat, vel nullius momenti cauſas afferat, quibus ſuppreſſionem menſtruorum attribuere molitur; ſuſpecta ſane res eſt, ſi forſan ipſa arbitretur, emmenagoga fortiora ſibi optime convenire: quum vero arbitrio medici ſeſe relinquat, remediaque ab ipſo appetat ſine methodi cujusdam præſcriptione, de vera menſtruorum ſuppreſſione potius ſuſpicari medicus poteſt, attendendo ſimul, an in illis ſymptomata nervoſa, hyſterica, abdominalia verſus finem imprimis cujuslibet periodi augeantur vel, minuantur; Priori enim caſu plerumque ſtatus morboſus ſubeſt, usque dum, niſi menſtrua recurrant, per criſeos ſpeciem ſolvatur morbus metaſtaſi quadam vel in chronicum, vel in acutum morbum: poſteriori vero, cum illis menſtruorum defectus contigerit absque apparente quadam cauſa, neque ulla ſuperveniente criſi, ſed remiſſioribus omnibus, quæ paulo ante adfuerant ſymptomatibus, imo evaneſcentibus tandem, conſentiente jam divino ſene (*n*), major geſtationis ſuſpicio eſt.

§. XXXVII.

Medicus vero dubius forſan, & feminarum placitis indulgens, ſedulo attendat, ne ex altera parte embryonem, latentem forſan, lædat, ex altera vero parte, ne morbum negligat. In præſcribendis medicamentis mitiſſima eligat, ex evacuantium genere leniora ſal-

(*n*) *Conf.* HIPPOCRATES *Sect. V. aphor. 61.* „*ſi mulieri purga-* „*tiones non prodeant, neque horrore, neque febre ſuperve-* „*niente; cibi autem faſtidia ipſi accidant, hanc in utero* „*gerere putato.*

ſaltem, & ejuſmodi in univerſum remedia, quibus aliquamdiu ſine alia noxa uſis, vel menſtrua revocentur, vel veram mali cauſam dijudicandi ſpatium ſibi acquirat.

§. XXXVIII.

Mirum porro uteri & mammarum commercium eſt. Quamprimum enim menſtrua ceſſarunt, mammæ mox futuræ fœtus nutritionis apparatum præmoliuntur. Notabile ſcilicet capiunt incrementum, dum ſimul elevantur, & earundem venæ cœruleo colore conſpicuæ magis efferuntur. Papilla turgens, adſpectu quaſi inflata craſſeſcit, colore naturali (ex albido rubello) obſcuriori diſtincta, & diſcus papillam ambiens in latiorem expanſus peripheriam, ſimili colore notatur, parvis eminentiis, quaſi totidem papillulis, quarum numerus plerumque ad XV-XVII. accedit (*o*), tegitur.

§. XXXIX.

Dolent tunc temporis mammæ, & papillarum fiſſuræ cum acerbiſſimis doloribus ſubinde contingunt: plerumque vero omnibus gravidis, termino quodam incerto, ut plurimum circa medium graviditatis tempus, quin ſerius, humor quidem tenuis mammis exprimi poteſt; ubi notandum, primiparas hujus liquoris parciorem fundere quantitatem, in feminis vero jam aliquoties partum expertis lympham copioſiorem profluere. Lympha iſta ſtriis lacteis, quaſi totidem vermiculis diſtincta, ultimis præcipue menſibus uberiori copia ſecernitur, aucta adeo verſus finem geſtationis, ut vel ſponte nonnullis effluat. Verum enim lac neque in virgine, neque in femina nupta hoc tempore obſervatur, ſed demum abſoluto partu, ſuperveniente ſic dicta febre lactea, quæ critico modo lac in mammas deponit, niſi forſan in illis lactis veſtigia ſupereſſe deprehendas, quæ

(*o*) *Conf.* MAURICEAU *Tom. I. Lib. I. Cap. III, pag. 69.*

quæ ſub ipſo lactationis ſtadio denuo concepere (*p*). Non omni tamen dubio hoc ſignum caret. Siquidem rara licet, virginum etiam lactantium exempla leguntur (*q*); & per complures ſæpe annos nutricum, quæ infantem duduin ablactarunt, mammæ liquore quodam turbido, lacteo profluunt, menſtruorum maxime tempore.

§. XL.

Nonne igitur, quæ ab uteri incremento & orificii interni mutatione depromuntur notæ, graviditatis certiſſima ſigna ſunt? Negari quidem nequit, explorationem omnium tutiſſimam inveſtigandi veritatem eſſe viam, qua nempe uteri alterationes optime percipiuntur. Quum majus ſenſim ſpatium uterus poſt conceptionem occupat, ſimulque primis tribus circiter menſibus in pelvim deſcendit, ut hac ratione abdomen complanetur (*r*), uteri autem cervix in vaginam paululum detrudatur, commodius paulo exploratoris tactui ſe offert. Nempe ante impraegnationem integer digitus orificii altitudinem explorat; ſecundo autem tertiove a conceptione menſe, duæ ſaltem digiti phalanges in vaginam demiſſæ optime illud attingere valent. Verum non omnibus eadem eſt cervicis naturalis diſtantia, altiori aliis orificio, aliis profundiori. Quare conſtans ſignum haberi nequit, niſi orificii naturalis altitudo jam antea cognita fuerit: quin & fallere poteſt omnis habitus corporis præternaturalis, vagina brevior, ejusque prolapſus, orificium uteri ſecum trahens; hydrops, ute-

(*p*) *Haec mammarum ſigna frequenter ipſe, in Noſocomio, quod Gottingæ floret, obſervavi.*

(*q*) *Conf.* NICOL. VENETTE *Tableau de l' amour conjugal Tom. I. Part. II. Cap. I. art. III. pag. 100.*

(*r*) *Gallis inde dicere moris eſt: qu'en ventre plat enfant y a. vid.* MAURICEAU *Tom.* I. *Lib.* I. *Cap.* III. *pag.* 69. BOESSEL *Grundlegung zu der Hebammenkunſt pag.* 181.

uterum deorſum premens, tympania, ſeu aëris in inteſtinis morboſa reſolutio, qua uterus inferiora petere cogitur; uteri denique prolapſus cachexia, laborantium, propter fibrarum laxitatem omnium frequentiſſimus affectus & alia.

§. XLI.

Elapſis his, embryonis incrementum ſequitur uteri, nunc extra pelvim hærentis, expanſio, hanc vero parili ratione abdominis intumeſcentia. Superiora verſus nimirum poſt tertium menſem uterus recedit, & pelvim aſcendendo deſerens, abdomen inflat, illudque in dies notabilius expandit. Verum, quum morbis nonnullis abdominalibus, graviditatem mentientibus, ſæpius eadem fere abdominis expanſio aliaque competant gravidarum ſymptomata, ut hoc nomine peritiſſimi etiam nonnunquam decipiantur, pro arguenda graviditate circumſpicienda alia ſunt, quibus hoc abdominis incrementum diſcernitur. Tumor enim continuatus eſſe debet, pedetentim magis magisque increſcens, adeoque conſtans, nunquam vagus vel remittens; æquabiliter aſſurgens, & verſus cordis ſcorbiculum ſenſim aſcendent: quæ omnia ut optime conſtent, viſus unicus teſtis eſſe nequit, ſed tactus ſimul confirmet oportet, ut externa & hic loci de internis teſtentur. Ipſam hujus actus rite inſtituendi rationem huc transſcribere non abſonum putavi. *Femina jeiuna*, diſſerit ROEDERERUS: *urinam & alvum deponat; ſupina cubet, lumbis depreſſis, capite pedibusque elevatis, calcibus ad nates retractis, ita ut abdominis regio laxetur. Tunc medicus abdomini palmam imponat transverſam, auricularem digitum verſus os pubis tendat; pollicem ex adverſum ad umbilicum. Valida reſpiratione femina abdomen concutiat, atque medicus ſub ipſo exſpirationis niſu idem leniter imprimat. Quodſi eo momento duram, globoſam, atque ſuper oſſe pubis hærentem reſiſtentiam tangit, de utero tumido certus eſſe poteſt. Sicubi vero alius tumor abdomen elevat, alio loco is deprehenditur, vel & totam abdominis regionem æqualis atque*

perpetuus quidam tumor occupat (*s*). Quae exploratio in macilenta femina bene fuccedit (*t*).

§. XLII.

Reftat ex optimis notis foetus in utero materno motus, verae graviditatis teftis omni major, quique prioribus adnumeratus, ultimum quafi pondus addit. Incertum quidem tempus eft, quo primum mater foetus fui exiftentiam atque vitam percipit. Primis enim menfibus foetus multo amnii liquore innatat, quo etiam tempore, cum non nifi mollioribus adhuc membris inftructus fit, vel nullum, faltem non adeo perceptibilem edit motum, fenfim vero robuftior, parciori liquoris copia comprehenfus, artubus fuis ad domicilii fui parietes impingit, matri moleftus fit, quin imo, vehementioribus tandem motibus dolore inimicus. Plerumque vero primam fui agitationem matrici medio graviditatis termino communicat, unde etiam computare matres confueverunt, quot adhuc pariendi temporis illis

(*s*) *vid. in Element. art. obftetric. §. 150. pag. 66.*

(*t*) *Conf. Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* III. *Obf.* 74. *&* WEITBRECHT *Comment. nou. Acad. Petrop. Tom.* I. *pag. 340. defcribit hydropem ovarii, & quomodo tumor inde natus a graviditate diftingui poffit. Nempe tumor uteri gravidi afcendit ab ipfo offe pubis verfus umbilicum; fed in cadavere feminae, quae hydrope ovarii laboravit, tumoris centrum umbilicus erat, & tumor medius folitarius tanquam foffa quadam cinctus, ita ut in hypogaftrio & fuper pubem haeferit. Cafus etiam mentionem fecit* ROEDERERUS *fibi vifi, quo tumor quidem mox fuper pube, fed motus fuit ex uno latere in alterum fua fponte & plura fymptomata morbofa juncta. cf. Progr. de hydrope ovarii.*

illis reflet (*u*); sed male quidem, quippe ocyus aliæ, aliæ serius primum embryonis motum sentiunt (*x*), quæ temporum discrepantia erroribus matrum & neglectæ feminarum otiosarum attentioni tribuenda procul dubio videtur. Medius enim terminus inter decimam nonam vigesimamque secundam hebdomadem, repetendo calculum a partu ad primam motus perceptionem, cadit (*y*), atque si justo citius nonnullæ motum istum sensiere, inde forsan factum est, ut quamlibet abdominis agitationem, sæpe alienam satis motui fœtus, istum esse putaverint.

§. XLIII.

Ergo ante tertium mensem certum graviditatis signum tradi temere nequit; quæ enim de uteri descensu, ventris complanatione, menstruis suppressis, mammarum tumore aliisque dicta sunt, omnia decipere medicum possunt, nec nisi probabilia haberi debent, quippe graviditatem æmulantium morborum communia symptomata sunt. A tertio ad omnes subsequentes usque menses exploratio fide certiora docet, atque non sine ratione instituitur. Quodsi enim tunc, omnibus successive relatis phænomenis, mensium, mammarum, abdominis, motus embrionis, respectu, uteri status accomodatus & conveniens accedit, successiva, quod præcipuum est, symptomatum morbosorum, si quædam adfuerunt, remissione, vehemens omnino gestationis suspicio est.

§. XLIV.

(*u*) *Conf.* ROEDERERI *diss. de temporum in graviditate & partu æstimatione §.* III. *& §. XV.*

(*x*) *vid.* EJUSD. *laudatæ dissert. Tabulæ pagina 34. sqq.*

(*y*) *Testantur hoc quam plurimi ex dissert. paulo ante citata, observationum nosocomii nostri tabularum numeri, quin quantum ego illis interfui, id fere semper hac ratione repertum fuit.*

§. XLIV.

Quinto demum, & post quintum mensem, signa cervicis & mutati orificii uterini optime petuntur. Uterus superior paulo quam est pelvis superior apertura, fere in axi ejus locatur, & antequam venter subsideat, orificium digito assequi vix licet. Uteri autem orificium tunc tangitur mollius, crassius, quod antea durum erat & quasi cartilagineum, una cum cervicis tumore. Sub initium vero septimi mensis eoque medio optimum signum innotescit, caput infantis mobile digito exploratoris ita offertur, ut impulsui illud facile cedat, moxque relabatur, quod phænomenon ascensus descensusque alternas vicissitudines servans, lusus instar aliquoties iteratum satis jucundum est, aliquot vero ante partum hebdomatibus capitis delapsi notabilius pondus est, pone pelvis aperturam superiorem figitur, illam explet, neque amplius tanta mobilitate gaudet, abdomen subsidet, & appropinquantis partus signa pedissequa instant.

§. XLV.

Ex omnibus colligitur abdominis tumorem omni gestationis tempore non esse eundem. Quo itaque de statu graviditatis medicus recte judicet, ad sequentia momenta attendat, necesse est. Sexto mense uterus inter os pubis & umbilicum ascendit, septimo ad ipsum umbilicum; octavo mediam inter umbilicum & scrobiculum cordis regionem occupat, usque dum nono demum mense ad ipsum hunc scrobiculum contingat (*). Quoties vero venter propendet (z), eadem ex ejusdem altitudine, nisi simul ad decessum respiciat, æstimatio non valet.

SECTIO III.

(*) *cf.* DENYS *l. c. C. III. p. 63.*

(z) *de quo argumuto conf.* MAURICEAU *passim.*

SECTIO III.

§. XLVI.

Morbi, qui grauiditatis aliquam ſpeciem æmulantur, ſuisque ſymptomatibus Medicos æque decipere poſſunt, ac matres frequenter ſpe deſtituunt, ſunt menſtruorum præternaturalis ſuppreſſio, a vitio maxime genitalium locali, uteri, vel vaginæ; Hydrops, & tympanites, tam abdominis, quam ipſius uteri.

§. XLVII.

Quoties uterus imperforatus eſt, validior membranula vaginam præcludit, vel tumore quodam præternaturali illa laborat (*a*) ſeu alio, quocunque, menſtrua retinente, malo afficiuntur genitalia (*b*), quibus fit, ut illorum utriusque generis intercipiatur via, & menſtruorum rivuli ſiccentur; toties fere, menſtrui ſanguinis itinere præpedito, phænomena oboriuntur, gravidarum ſymptomatibus haud multum aberrantia. His omnibus menſtruorum periodis major ſanguinis portio congeritur, uterum gravans, eumque diſtendens, quibus integumenta mox in mali conſortium trahuntur, abdomen expanditur, inflatur cum notabili duritie. Præter affectiones ex hyſtericarum genere, ſpasmos aliaque, digeſtio depravatur, unde tot viſcerum chyli officinæ vitia, appetitus irregularis, deficiens ut plurimum cum nauſeis, vomendi conatibus, quin ipſis ex ordine vomitibus oriuntur. Temporis ſucceſſu mammæ intumeſcunt, imo preſſæ ipſum humorem nonnunquam (ejusdem fere, qualis gravidarum eſt indolis) fundunt (*c*): Nec aliæ interdum deſunt

(*a*) *Conf. §. diſſert. V. pag. XVIII. ſeq. cum notis* (*t. x. y.*)
(*b*) *it. §. X. pag. XXXII. not* (*e*) *&c.*
(*c*) *Quam ſententiam annuit* HIPPOCRATES *Sect. V. aphor. 39.* „*ſi mulier, quæ nec prægnans eſt, nec peperit, lac habeat,* „*ei*

ſunt veræ geſtationis notæ, ut ipſum motum embryonis ſenſiſſe quædam ſibi perſuadeant, atque adeo ſumma graviditatis ſuſpicio ſit: quin maior adhuc, quibus ipſa partus molimina, dolores quaſi ad partum accedunt (*d*). Verum præter moralia momenta, quibus vel ſpei vel ſuſpicionis multum profligatur, ventris inſpectio, & ſtudioſa uteri exploratio (non neglectis circa uteri incrementum cautelis §. LXI. traditis) omnem facile litem finiet.

§. XLVII.

Ipſa etiam morboſa, (*e*) vel ob ætatem provectam naturalis men-

„ei menſtruæ defecerunt. *Conf. etiam* DIONIS *Traite general des accouch. Lib. II. Cap. I. p. 123.* MAURICEAU *Tom. I. Lib. I. Cap. VI. pag. 92.*

(*d*) *Ipſas has notas non infrequentes eſſe, plures teſtantur obſervationes apud* DE LA MOTTE *Traité complet des accouchem. Lib. I. Cap VIII.* DIONIS *Traité general accouch. Lib. II. Cap.* I. *pag. 127.* MAURICEAU *Tom. II. Obſ. 275. pag.* 227.

(*e*) *ejus rei memorabilis hiſtoria exſtat in Com. Litt. Nor. an. 1734. hebd.* I. *pag. 2. feminæ ejusdam* XXIV. *annorum. Hæc poſt primum puerperium menſium fluxu laborat inordinato, mox penitus ſufflaminato; interim bona methodo ita tractatur, ut duæ menſtruorum periodi iuſto ſtatoque tempore recurrant; ſed poſtea denuo ſupprimuntur, venter & mammæ intumeſcunt, ſanitas optima (quod mirum) ſuperſtes eſt. Hinc omnes graviditatem ſubeſſe putant, tantoque magis, quum medio geſtationis tempore motum ſibi percipere viſa, imo a vetulis adminiſtris perſuaſa eſt, quod ipſum ſitum foetus vel manibus palpare manifeſte liceat. Sed euentus alia plane docuit; plura enim accedunt incom-*

menſtruorum ſuppreſſio (§. XIX.) paria fere producere valet (*f*). Ejusmodi vero utriusque generis feminæ ex corporis diſpoſitione & habitu, ætate, ſupervenientibus hæmorrhagiis, abdominis duritie, ejusque inflationis ſingulari ratione, orificii uterini attenta exploratione, citra omnem ſignorum aliorum perſuaſionem, haud difficile dijudicantur.

§. XLVIII.

Hydrops & tympania analogi propemodum morbi ſunt, eorumque ſymptomatibus, mutatis mutandis fere eadem ſpecie, niſi totum graviditatis ſchema notum ſit, facile decipientes (*g*), ut certiſſime tantæ ſignorum ſimilitudini confidentes, fallantur, qui horum

incommoda, artuum gravitates, præcordiorum auxietates, & hæmorrhagia tandem uteri cum virium proſtratione: adhibitis debitis medicamentis paululum omnia remiſere, niſi quod quovis menſe fluxus uterinus eadem copia redierit: tandem elapſo decem menſium ſpatio cum motu ſenſim evaneſcente, evanuerunt omnia, & ipſa quamvis molæ latentis omnium eſſet ſuſpicio, certiſſime nihil quicquam, quod carnoſum aut membranaceum concrementum referret, cum ſanguinis per uterum concuſſionibus excreta eſt, ſed adhibitis dein convenientibus remediis poſtea bene valet. Conf. it. MAURICEAU *Tom. II. Obſ. 255. p. 212. Obſ. 579. pag. 487. & Obſ. 675. pag. 550. quibus ſimiles fere referuntur caſus.*

(*f*) *Obſervationes legi poſſunt apud* DE LA MOTTE *Lib. I. Cap. VIII. Obſ. XIX. XX. & XXII. pag. 48. ſeq. & Obſ. XXI. ibid. quo caſu ipſe, cum femina motum ſatis validum vel manibus percepit, dolores ſimul, illorum ad partum non diſſimiles obſervavit. vid. etiam,* MAURICEAU *Tom.* II. *Obſ. 369. pag. 306. & Obſ. 566. pag. 468.*

(*g*) *Conf. §. Diſſert.* IX. *cum not. (d).*

rum etiam morborum ſigna pathognomonica neglexerunt (*h*), quorum tamen cognitione firma rite imbuti ſint, qui chirurgiam colunt, neceſſe eſt, ne forſan revera gravidam putent hydropicam, & hoc nomine ignominiæ maculam ſibi inurant, (*i*) tantoque magis, quum hydropicæ ipſe non deſint interdum, quamvis rarius, quae in utero concipiant (*k*).

§. XLIX.

In hydrope univerſali, anaſarca, ubi ſub celluloſa tela per omnem corporis ſuperficiem efuſa eſt aqua, facile diſcrimen petitur. Expanſi totius abdominis tumor æqualis eſt, mollis, umbilico retracto, quaſi in ſcyphi conici formam mutato, & digitorum preſſio foveas relinquit ſubſidentes. Quas corripit hic morbus, iis plerumque pedes primi tument, femora dein, tandem obdomen. In gravidis vero hic ordo perverſus obſervatur; graviditatem enim pedum

(*h*) *Caſum refert* MAURICEAU *Tom. I. Lib. I. Cap. VI. pag. 95.*

(*i*) *in Commer. Litt. Nor. an. 1731. ſpecim. XV. pag. 117. imperiti cujusdam chirurgi mentio ſit. qui matrem trigeminis gravidam pro hydropica habuit, quique, ut cultello abdomen aperiretur, quo ſerum hydropicum emanaret, puniendum dedit conſilium. it. Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. V. Obſ. 67. pag. 114.*

(*k*) *referente* MAURICEAU *T. I. Lib. I. Cap. III. pag. 73. cujus hiſtoriam ulterius proſequitur Tom. II. Obſ. 70. pag. 59. quatuor ſcilicet durante ipſo morbo peperit liberos. Analogum caſum feminæ cujusdam hydropicæ trium infantum matris legimus ibid. Obſ. 249. pag. 204. conſ. etiam* PHIL. PEU *Pratique des accouchemens Cap. XI. pag. 119. ſeq. Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent.* I. *Obſ. 44. pag. 112. Medical Eſſays Tom.* VI. *pag. 137.* VANDERMONDE *Recueil. febr. 1756* IOH. PHIL. BERKELMAN *de hydrope aſcite in gravida cum febre quartana conjuncto. Gieſſæ 1753.*

pedum tumor post jam tumidum abdomen prodit. Hydropicis urina rubella est, eoque magis, quo majus incrementum ipse morbus capit, (phænomenon facile explicatu) gravidis vero citrina. Hydrope laborantem feminam præ grauida vehementior sitis vexat. Hydrops nunquam symptomatibus morbosis caret, eaque simul sumta pro morbi incremento quotidie fere exasperantur, (mammæ simul decrescunt, flaccescunt, neque lympham, neque strias lacteas fundunt) si contra quædam adfuerint facta conceptione, illa sub gestatione, nisi penitus dispareant, saltem imminuuntur; uteri enim gestatio summum sæpe revellens est. Ascitidem melius vix dignoscimus, quam si ad latera applicatis manibus, concutiendo una, liquoris incarcerati fluctuatio percipitur; Aegrae de molesto in regione ossium pubis pondere conqueruntur, ipsa moles, in quodcunque femina incumbit latus, eo dirigitur. Quodsi vero quoddam saltem viscus hoc morbo laborat, ut peculiari cystidi aqua inclusa sit, neque fovea imprimi potest, neque fluctuatio percipitur, pedesque vix fiunt tumidi, hinc unicum explorationis artificium (§. LXI.) hanc speciem distinguat. In tympanitide abdomen æqualiter tensum est cum duritie, pressum dolet, elasticum foveam non admittit, quin protinus exsurgat, contrectatum potius sonum edit, conjuncta sunt multa variaque symptomata. Quoties demum hydrops, vel abdominis tympanites cum graviditate uniuntur, toties uteri exploratio graviditatem dignoscat.

§. L.

Conceptus spurii aquam (*l*) vel flatum (*m*) in utero nunc

 majori

(*l*) *Casum vid. in Commerc. Litt. Nor. an.* 1734. *hebd.* IX. *pag.* 68. *it.* DE LA MOTTE *Trait. compl. des accouch. Obs.* XVI. *pag.* 42. & *alibi passim.*

(*m*) *Conf. Ephem. germ. D.* I. *an.* VI. & VII. *Obs.* 45. *pag.* 79. DE LA MOTTE *Lib. cit. Obs.* XVIII. *pag.* 45. & *alibi passim,* *varias*

majori nunc minori copia comprehendunt, æque ac molæ cognitu difficillimi ſunt, nunc ſimul & ſemel cum ſtrepitu & fragore (*n*), nunc ſenſim & per intervalla prorumpunt, quin inſenſibiliter nunquam eliminantur (*o*), atque illo feminæ beneficio fruuntur, quod tempeſtive utplurimum & citius, quam eſt terminus pro fœtu, excernantur: raro ipſis membranis ovi inſtar incluſi ſunt (*p*), quo caſu verum partum mentiuntur, veſica enim dolorum vi compreſſa, vel integra exteriora verſus protruditur, vel disrupta aquas fundit, ſed edendi fœtus vana ſpes eſt.

varias conceptuum ſpuriorum ſpecies collectas vid. in Ephem. germ. D. I. *an.* I. *Obſ.* I. *pag. 11.*

(*n*) *Conf.* MAURICEAU *Tom. II. Obſ. 110. pag. 90.*

(*o*) *vid. Ephem. Germ. D. II. an. II. Obſ. 138. pag. 306. Paſſa eſt vomitum, nauſeam, horrorem. Venter intumeſcebat. motus aderat ſatis fortis. Sed accedit tempus pariendi cum cephalalgia, cardialgia, extenſione abdominis dolorifica, anguſtia pectoris & metu ſuffocationis, & applicatis internis externisque omnia evaneſcunt, ſpesque pariendi cum prole aufugit.*

(*p*) *de quo* DE LA MOTTE *Lib. cit. Cap.* VII. *Obſ.* XVII. *pag. 44.*

DISSER-

DISSERTATIO MEDICA INAVGURALIS
DE
SIGNIS FOETUS VIVI
ET MORTUI

QUAM

SUB PRAESIDIO DIVINO

POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GEORGIO II.

MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE REGE

ELECTORE AC DUCE

BRUNSVICENSIUM AC LUNEBURGENSIUM ETC. ETC.

CONSENTIENTE GRATIOSO ORDINE MEDICO

PRO SUMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBUS
ET PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS

D. XVII. MART. cIↄ Iↄ CC LVI.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBIICIT


WILHELMUS LUDOVICUS CHÜDEN

LUNEBURGENSIS.

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
VIRO
WILHELMO LUDOVIC. CHUDEN
S. P. D.
I. G. R.

Non equidem laudatum TE venio, VIR PRAENOBILISSIME! id enim propriæ TUAE virtutes officii mihi ſurripiunt: ſed TIBI iſtisque ægrorum gratulatum, qui TIBI ſe committent. Omnibus enim, quæ clinicum medicum ornant, TE inſtructum video ſubſidiis atque virtutibus. Inter nos ſtudiis innutriti diligentiam TUAM & in litteris aſſiduitatem nunquam non miratus ſum; ſolidam in examine cognitionem prodidiſti ore; & nunc quam ſis cautus, quamque tamen ſtrenuus in opere, diſſertatione edoces. Age, VIR SUAVISSIME! iſta ſtudia, iſtos labores negligere noli. Aegros ſane deludunt, qui dubia trepidatione & anxia exſpectatione eosdem ſanari putant. Tyrannis autem, medicos etſi fortes ſe dicant ſtrenuosque, atque furioſis propemodum aſſimilabis, qui Magnorum in arte Virorum, tirones & inexperti, audacia quidem ſed magni facienda geſta, temerario nec ſatis culpando auſu, imitaturi, ſine diſcrimine, ſine judicio, in ægrorum corpora ſæviunt, ligna ſoco vel addentes, vel machinam turbantes deſtruentesque, vel ſuccorum fontes exſiccantes; immemores, ſibi cum Magnorum Virorum armis non inſimul bracchia eſſe commodata. Iſtos TE ſcopulos vitaturum animadverto. Ita & agere & mihi favere perge. Gottingæ d. VIII. Mart. MDCCLVI.

§. I.



§. I.

Vix in universa naturæ cognitione observationis, experimentorum & ratiociniorum subsidiis magis destituimur, quam in mirando generationis opere. Neque sane illi laudandi sunt, qui adeo de sua cognitione in isto argumento gloriantur. Honorificentius multo ignorantiam nostram & obscura lumina fateremur. Neque est, quod recentiores adeo subsidiis suis mathematicis, physicis, chemicis, anatomicis, microscopicisque superbiant, lupumque auribus se tenere sibi aliisque persuadeant, cum phantasia comite, & præjudicio duce in naturæ arcana oculis manibusque penetrare satagunt, ne quidem in confiniis versantes.

§. II.

Non tamen penitus inutilis vel superflua est opera, quam in isto argumento indagando ponimus. Ipsæ illæ difficultates, ipsi hiatus atque defectus eo magis ardorem nostrum & diligentiam incitare debent. Sunt etiam inter ista momenta adeo necessaria cognitu, ut ab eorundem proletaria cognitione ipsa hominum salus & integritas patiantur. Veluti quidem omnes, quæ partum circumstant, varietates huc spectant, ita vel maxime illa cognitio, vivatne fœtus nascendus, sitne defunctus? Ista enim intelligentia cautos non reddit, ne unquam, nisi quidem ultimum discrimen nos urgeat, imbelli embryoni violentas manus injiciamus; & animum tamen addit manusque istis vinculis solvit, ut intrepidi inutili pondere, quolibet etiam artificio, comprehensionis & dissectionis, matrem liberemus.

Ggg §. III.

§. III.

Equidem ignarus non ſum ipſius fœtus in partu parciora, ſi quidem ulla, eſſe munera. Cum enim graviditatis periodus abſoluta eſt, inferiorisque uteri ſegmenti extenuati ſenſim & diducti obſtacula fracta ſunt, oppoſito fundo robur accedit. Uteri etiam fibræ olim criſpæ, nunc in rectitudinem expanſæ, & ulterioris extenſionis impatientes ingrato ſenſu nervos efficiunt. Ita dormientes quaſi uteri fibræ motrices excitantur, excitatæ conſtringuntur conſtrictæ contentam in uteri cavo molem verſus leviſſime vincendum obſtaculum, ſegmentum videlicet inferius, propellunt. Hæc ipſa moles depreſſa comprimit ulterius & diducit uteri inferiora, inter hians os uteri inſinuatur, omnique tandem orificii ambitu divulſo atque dimoto in uteri vaginam delabitur, delapſamque uteri fundus ex proprio elateris niſu inſequitur & impellens totam excutit.

§. IV.

Iſta quidem omnia ſolis uteri viribus abſolvuntur, ſiue contentæ moli aliquid auxilii tribuas, ſive minus. Tanquam grave quoddam pondus propellitur maſſa, propulſaque ex ſolius maſſæ ratione inferius uteri ſegmentum mutat, visque iſtius, quæ ipſi ab uteri fundo communicatur. Commodiſſime itaque atque præter omnem inſolitam difficultatem perfici partus poteſt, ſive contenta moles, id eſt embryo cum ſua ſecunda, vivat, ſiue minus. Ne quis venerabilem experientiam objiciat & antiquitatem. Si vera ſunt ratiocinia reſragari obſervatio nequit. Sæpius profecto partus obſervavi, quoad reliqua partus ratio permiſit, facillimos, fœtus licet mortuus, quin dudum iam, fuerit.

§. V.

Venerabilis autem antiquitas cum Magno ſuo duce Hippocrate, cujus laus cum ipſa ſalutis arte morietur, inani ſæpius metu trepi-

trepidavit, frequenti illo errore decepta, quo effectus caussasque permiscemus & commutamus. Observarunt enim utique matrem, sine huius illiusve partus solutione, nisi violenta manu foetus trahatur, languere. Istiusmodi in casibus post plures tandem labores defuncti pueri vel excutiuntur, vel laniata cadavera exsolvuntur. En dixere quam difficile est parere mortuum (*a*), quam violenter tractandum est cadaver! Minime cogitarunt longam ex difficili aliunde partu moram fœtum interfecisse, manusque ut plurimum violentas ferroque munitas farroque munitas vitam fœtui cum ergastulo abstulisse. Potuissent toties, si ad violentiam lentiores fuissent, si fœtum in pedes componere didicisset foetum servare. Brevis autem ars fuit. Horruit mater, diu iam protractus est partus; sine succussu varia medicamenta exhibita sunt, elapsa manus, (*b*) mortuus pronuntiabatur embryo, ad instrumenta properabatur (*c*), instrumenta autem fœtum vivum necantia. Ita,

(*a*) HIPPOCRATES *L. I. de Morb. mulier n. 50.* „*Est autem* „*& hæc magna causa, ut non facile exeat puer, si mortuus* „*aut syderatus aut duplicatus fuerit. n. 109. & 122 & 128,*„ *medicamenta commendat ad eiiciendum fœtum mortuam, cujus ergo partum soli naturæ committere non audet.*

(*b*) *Confer.* HIPPOCR. *liber de exsectione fœtus, n. 2.* „*Manus* „*fœtus (loquitur præcipue de oblique prolapsis) prominens* „*mortui fœtus signum est.*

(*c*) *Conferri hic quam maxime meretur* HIPPOCRATES, *vel quisquis est autor antiquioris libelli; vulgo inter Hippocraticos relati, de superfœtatione n. 4 & 5.) æque enim veterum mentem nobis explicat).* „*Si porro fœtus intus ma-* „*neat mortuus & non possit neque sponte, neque per medi-* „*camenta juxta naturam excidere, manu cerato maxime* „*lubrificante uncta, deinde in uterum intrusa, humeros a* „*collo magni digiti conamime deducito. Oportet autem ad* „*hujusmodi etiam unguem instrumentum in magno digito* „*habere, & distractione facta manus educere, deinde rur-*

Ita, puto, defunctus embryo extractus est. Alias vitam fœtus sperantes violenter matrem agitarunt (*d*) & concusserunt, donec viribus

„sus immissa manu, ventrem diffindere, & ex diffisso in„testina sensum eximere: deinde his exemtit latera con„fringere, quo considens corpusculum levius ac expeditius „fiat, & facilius exeat, non tumidum existens.

(*d*) *Confer.* HIPPOCRATES *L. I. de morb. mulier n. 93. 94. 95. 96.* „*Quicunque abortus facti discedere non possunt, dum „aut toti, aut partes fœtuum sunt majores, aut minores, „& obliqui ac impotentes, tales si quidem secundum natu„ram siti fuerint, phatmaco aliquo dato ex his quæ ego re„feram expellito, ubi multa calida prælaveris. Et si prodi„re volentes non facile exeunt, quum siti sint secundum na„turam, talibus sternutatorium admoveto. Apprehendito „autem nasum & os comprimito, ac sic sternutet, quo ster„nutatio quam maxime efficax sit. Utatur item concussio„nibus. Sic autem concussionem facito. Lectum altum ro„bustum ac instratum sumito, & mulierem supinam recli„nato; pectus vero & axillas, ac manus fascia, aut molli „lato loro ad lectum alligato ac cingito, & crura incurva„to, & malleolis apprehensam detineto. Quum autem sic „disposueris, sarmentorum mollium fascem, aut aliquid „huic simile parato. tantum quantus sufficit, ut lectum „non negligat excipiendo ipsum, dum in terram projicitur, „quo non pedibus iuxta caput terram contingat. Postea „vero ipsam mauibus lectum apprehendere jubeto, & lectum „ad caput sublimem habere, ut declinis sit in pedes ani„madversione habita. ne pronus sit homo ipsa. Ubi vero hæc „facta fuerint, & lectus sublimis fuerit, retro sarmenta suppo„nite maxime auten dirigito, quo pedes terram non contin„gant, dum lectus projicitur & ut sint intra sarmenta. Elevent „autem*

bus fractis, doloribusque cessantibus interea temporis embryo perierit, atque ad instrumenta deveniendum fuerit. Quis non videt fa-

facilem

„autem duo viri ex utroque pede hinc atque illinc, quo in directum lectus cadat plane, ac æqualiter, & convulsio ne „fiat. Concutiendum est autem maxime una cum partus „dolore. Et si quidem discendant statim quiescendum; sin „minus, interstitio facto rursus concutito, & in lecto ge„statam atollito, ac agitato. Atque hæc quidem sic facienda sunt, ubi recte & secundam naturam discedant. O„portet autem cerato liquido prius illinere, quod in omni„bus hujusmodi circa uterum affectionibus optimum est, & „malvæ aquam affundere & fœnigrævi, aut potius ptisanæ „triticeæ succum. Oportet autem usque ad inguina, sedem „& pudendum fovere & insidere, ubi partus dolores maxi„me infestarint, & nihil aliud mente versare, eam vero, „quæ medicatur, oscula mollibus aperire oportet, & leuiter „hoc facere. Umbilicum vero una cum fœtu attrahere. „Quicunque vero duplicati complicantur, & in osculo ute„rorum incumbunt, eos, sive vivi fuerint, sive mortui, „rursus retro protrursos vertere oportet, quo secundum na„turam in caput exeant. Quum autem retrudere voles, „aut vertere, supinæ ipsæ reclinatæ molle quiddam sub co„xas substernere oportet, & sub lecti pedes, quo alciores „sint hi a pedibus, semper aliquid supponere. Sed & coxæ „alteriores capite sint, & ut nullum cervical sub capite sit, „provideto. Quum vero retrursus fuerit fœtus, & hinc „atque illinc obvolvitur, ut secundum naturam constitua„tur, & quicquid sub lecti pedes supposuisti, ac lapides, „ & quicquid sub coxas subdidisti, subtrahito. Capiti „vero pulvinar subjicito. Atque talia hoc modo curato. „Quicunque vero focus vivi manum aut crus foras præmit-

„tunt,

facilem iſtorum temporum difficultatis partus cum morte embryonis ſympathiam?

§. VI.

„tunt, aut etiam ambo, eos oportet quam celerrime, ubi „exitum ſignificarint, prædicto modo intra retrudere, & „in caput vertere, & ad viam reducere. Et quicunque „fœtus complicantur ad lateris mollitudinem, aut coxam in „partu collapſi, eos dirigere, ac vertere oportet & in „aquam calidam deſidere facere, donec mulier refocilletur. „Quicunque vero fœtus mortui aut crus, aut manum foras „protendunt, eos optimum quidem fuerit, ſi id fieri poſſet, „intro retrudere, & ambas has partes in caput vertere. „Si vero hoc fieri non poterit, verum intumeſcit, ſecare hoc „modo- Diſſectum per ſcapellum caput cum contuſorio in„ſtrumento, ut ne in ramenta findatur, contundito, & „oſſa per oſſium volſellam aut tractorium inſtrumentum jux„ta claviculam immiſſum, prout habuerint, extrahito, „non multis ſimul, ſed paullatim exemtis, ac rurſus ab„latis. Quum vero hæc foras extraxeris, & in ipſis hu„meris fueris, ambas manus in articulis cum ipſis humeris „ſecato. Et ubi hæc extraxeris, ſi quidem fieri poterit, „ut exeant, etiam reliqua facile extrahito. Si vero non „obediant, totum pectus usque ad iugulum findito. Verum „caveto ne in ventrem ſeces & aliquid de inteſtino denudes. „Exit enim venter, & inteſtina & ſtercus. Si vero ho„rum quid excidat, majores negotii jam res fit. Contun„dito autem coſtas, & ſcapulas contrahito. Et facile po„ſtea reliquum fœtus procedet, niſi jam ventrem tumidum „habuerit. Si enim tale quid fuerit, melius eſt ventrem „fœtus leviter perforare. Flatus enim ſolum a ventre exit, „& ſic facile prodibit. Si vero exciderit manus, aut crus, „immortui foetus, ſi quidem fieri poterit, ambas partes re-

„tru-

§. VI.

Quædam in hisce artificiis nostri ævi laus est. Si medicamenta nos destituunt, si manca est ars, si cognitio generationis obscura; aliquod tamen est in partu artificium mollius, tutius & salutare magis. Quieta exspectatione, blando regimine, venesectione partus diuturnitati fœtusque vitæ blandiri didicimus, manu in abdita atria penetrare audemus, fœtum apprehendere componere sciteque exsolvere integrum & illæsum, quum apta, quæ unicam manum repellit, utriusque manus comprehensio requiritur, artificiales ferreasque manus, easdem tamen læves & innocuas applicamus, tumque demum lacerare, secare & cadaver mutilare non dubitamus, quum malorum pondus leviora auxilia spernit.

§. VII.

Quum autem hominem lædere a nobis alienum sit, tardi ad extrema properemus, & vel maxime de salute vitaque embryonis solliciti simus. Opus itaque est, ut mortuum corpus a vivo homine dignoscere discamus. Adeo vero ardua & anceps est ista cognitio, ut dubius sæpius fit honestus operator, agendumne sit, an quiescendum?

§. VIII.

„trudito, & fœtum rite dirigito. Hoc enim optimum fuerit. Si vero fieri non poterit, ut hoc facias, quicquid sane foris fuerit, quantum potes penitissimo resecato, & reliquum profunditate intus explorata protrudito, & fœtum in caput vertito. Quum autem vertere, ac secare puerum voles, ungues de manibus tuis resecato. Scapellum vero, quo dissecas, incurvum potius sit quam rectum, & hujus caput occultato per indicem digitum, eodemque interna explorato, ac deducito, ita ut caveas, ne uterum contingas.

§. VIII.

Sunt quidem ſigna, ſunt judicia quædam, quæ operatorem dirigunt, dubia autem iſta ſæpiusque fallentia animum non penitus confirmant. Signorum iſtorum ratio talis eſt, ut cum ſæpius aliquando reſponderint, interdum tamen fallant. Nulla tamen iis fides non eſt, ſi aliquando decipiunt, cum per plures reſpondeant. Quare operæ utique pretium artique perutile ejus cenſeo, ſi in iſta ſigna ſtrictim pro otii anguſtia & virium tenuitate inquiram, ex quibus nempe intelligi poſſit, vivatne fœtus, ſitne mortuus?

§. IX.

Non jam in illam litem me immergam, qua diſceptatur de termino animationis in embryone. Ridicula propemodum & inutilis quæſtio eſt. Ipſum illud momentum, quodcunque etiam ſit, quo ex generationis humoribus homo, artificio mirando magis quam explicando, coaleſcit, vitali ſpiritu hominem ornat. Quomodo enim homo ſine vita creſcere poteſt? Illi profecto non audiuntur, qui tunc demum temporis animari embryonem putant, cum manu ſua abdomini matris impoſita agitatum embryonem tangunt. Quaſi vero debilior embryo molliori corpore, in majori liquoris copia, ſine ſui indicio non poſſit agitari. Neque etiam diverſus maſculis fœmellisque animationis terminus cum veteribus ſtatuendus eſt. Paſſim exempla exſtant, tenellorum admodum embryonum, qui vitæ inditia quædam fecerunt (*e*).

§. X.

Altera quidem controverſia proprius ad noſtrum ſcopum ſpectat, quæ in terminum vitalitatis inquirit. Certum vero diem, quo natus puer vitam ſervare poſſit, conſtitui poſſe mihi non videtur.

(*e*) *Conf.* DE LA MOTTE *Traité Complet des accouchements L. II. Obſ. 131. 132. 134.*

tur. Obſervationum copia, ex omni parte determinatarum, nullibi colligi poteſt, neque ratiocinii ope iſta ad calculos vocare nobis datum eſt. Id ſaltem cognoſcimus, ante ſeptimi menſis initium, ſive primis ſex menſibus, embryonem extra uterum ſine vitæ diſpendio non verſari, nimis ſane debilem mollemque, quam qui blando matricis fotu ſecundarumque tenui nutrimento carere ſalvus poſſit. Septimo ſenſim menſe vires magis ita confirmantur, ut abhinc iſta periodo fœtus natos adoleviſſe & ipſe obſervare paſſim poſſis, & aliorum obſervationes intelligere. Commode itaque Divinus medicinæ parens (*f*) ſeptimeſtri fœtui vitæ jura adſcripſit, atque Juris Doctore; conceſſerunt (*g*), Tædioſa cæterum foret notiſſima noſtro ævo diſputatio, ſi boni Parentis hallucinationem quandam & præjudicatam, ex mente concepta embryonis defatigatione, opinionem indicare & evertere vellem. Quem enim inter nos fugit octimeſtri partui non paria vitalitatis, quæ ſeptimeſtri, ſed majora utique jura tribuenda eſſe? Terminum itaque, quo operator de vita naſcituri ſollicitus eſſe debet, ſeptimus nonusque menſis complectitur: ante iſtam periodum, abortivam molem pro ſalute matris negligentius habere poteſt.

§. XI.

Non ſola vero embryonis ſalus atque integritas operatoris in dignoſcenda embryonis vita ſagacitatem ſibi vindicat, ſed matrum etiam deſideria & anxiæ querelæ. Iſta quidem cognitio ſub ipſum partum uſu venit, quum artis ope vel juvandus vel totus abſolvendus eſt partus, ut embryoni parcere & vivi fœtus ſpe atque fiducia animum matris atque amicarum confirmare poſſit, vel famam ſaltem ſuam medicus mortis prædictione ſartam tectamque ſervare. Solet autem contingere, ut ante pariendi tempus medici judicium de vi- ta

(*f*) *Lib. de partu ſeptimeſtri.*

(*g*) *Lib. XXXVIII, Lit. XVI. de ſuis & legitimis Lib. 3. ſ. fin.*

ta latentis embryonis petatur. Prolis desiderio flagrant matres, plura graviditatis signa, ea tamen incerta quandoque & aliis affectibus communia notant, abdominis tumorem, clausos menstrui sanguinis fontes, appetitus alterationem aliaque, consulunt medicum, ut factam conceptionem non solum indicet, sed vivere etiam fœtum edoceat. Aliæ morborum injurias passæ sunt, medicamentorum externæ cujusdam violentiæ, animi affectus aliasque. De futuro abortu prolisque nece facta anguntur; ut quiescere animus possit medici consilium efflagitant.

§. XII.

Quamvis vero simplex sit illa cognitio, quæ ante pariendi tempus fœtus habitum indicat, cautum tamen medicum requirit, gravem atque expertum. Uterus clausus in omni sede a medici exploratione embryonem remouet. Hariolari itaque vitam embryonis ex inmutationibus nonnullis, quas vivus in matrem transfert, debet. Natat enim embryo in amnii latice, ad uteri sæpius parietes, cancellis inclusus, allidit, ad exteriora istos parietes movet, hi moti abdominis integumenta repellunt, repulsa integumenta a matre æque ipsa ac observante medico animadvertuntur. Quo autem vicissitudines istæ matrem afficiant & tegumenta moveant, impulsi corporis, id est ipsius embryonis, is impetus massæque moles & obstaculum requiruntur, quæ uteri parietes vincere possint. Tale vero massæ robur cum ante mediam quasi graviditatis periodum vix embryonem muniat, ante istam periodum embryonis allisio sui indicium vix præbet. Nequit itaque ante illam periodum de vita embryonis, ex hoc saltem indicio, aliquid constituere medicus.

§. XIII.

Primæ etiam, quas mater sentit, allisiones adeo sunt debiles atque ancipites, ut eædem ipsæ obfirmare animum nondum valeant. Sensim autem validum embryonis robur non modico impetu in ute-

rum

rum ita fertur, ut fœtu gravidæ, in primis expertæ, illam excitationem ſatis intelligant, quin ultimis hebdomadibus non ſine dolore quodam & incommodo experiantur. Eſt tamen quarundam, primum maxime uterum gerentium, ea ignorantia, ut parum ſæpius habeant iſtum pulſum, validioris eum borborygmi oberrationem reputantes; ſuntque feminæ, ex illis præcipue, quæ arido licet utero prolem tamen deſiderant, minimam inteſtinorum agitationem embryoni adſcribentes. Eſt itaque opus, ut criteria conſtituantur, quibus embryonis motus ab omni alia abdominali agitatione removeatur. Ipſa quidem agitationis ratio differentiam ſubminiſtrat. Embryonis quippe impetus abdominis integumenta cum uteri pariete ita propellit, ut elevatum abdomen mater ipſa ſentiat, obſervator videre queat, quin impoſita abdomini manu niſum corporis ex centro abdominis in ſuperficiem, ac ſi erumpere vi vellet, percipiat. Sine delectu atque ordine alii quicunque motus in omnem abdominis plagam vagantur.

§. XIV.

Edoceatur ergo mater, ipſa motum obſervet, manum abdomini medicus gravis imponat, embryonis impulſum præſtoletur, atque ut omne dubium præcidatur, aliquoties explorationem repetat. Notet inſuper medicus certiorem eſſe explorationem, cum laxato abdomine ſupina fœmina cubat, elevatis capite & cruribus, calcibus ad nates retractis. Laxatur etiam abdomen uterusque propior examinatur, quum lotii veſica depleta eſt. Mane, ſi circumſtantiæ permittunt, exploret medicus cubantis feminæ abdomen, quo quippe tempore valentiori motu fœtus agitari ſolet. Si nihil motus percipit, excitare ad aliquam conſtrictionem abdomen uterumque, iſtaque conſtrictione fœtum laceſſere poteſt manus (*) frigida, quam abdo-

(*) PEU. *Pratique des accouch. L. I. Cap. V. p. 43. ſuadet, ut manus aqua frigida madida abdomini imponatur.*

abdomini imponit. Ita quidem ut plurimum, si vivit fœtus, calcitratione se ipsum prodit. Sibi tamen medicus caveat, ne vitam mox embryoni deneget, cujus forsan motum hac exploratione non cognoscit. Sæpius enim per plusculum tempus embryones quiescere solent mortuisque assimilari, illi maxime, quibus parcus liquor amnii circumfusus ita est, ut arctioribus cancellis artus coërceantur. Ipsius etiam embryonis debilis valetudo viriumque languor languidum motum reddunt, penitusque aliquamdiu intercipiunt. Quin matris plethora uterique nimia repletio istam agitationem imminuit, venæsectione acuendam. Repetat itaque medicus sua pericula, atque ad negans effatum, ceu in tota re physica, lentus sit. Quum frequenter exspectatus embryo ad plura experimenta silet, vix illum periisse addubitandum est. (*h*)

§. XV.

Quo quidem signo si medicus caute atque prudenter uti didicerit, in errorem vix incurrere potest. Vulgaria autem & superioribus maxime seculis usitata criteria observatio non suggessit, sed falsarum hypothesium metusque inanis nexus. Huc spectat sanguis in aquositatem versus, ex quo oriuntur oculi cavi; tumor universi corporis, faciei pedumque, aures albæ, summus nasus albus & labia livida (*i*). Alii cadavere putrescere animadverterunt, putredinem

(*h*) *Conf. Elementa art. obstetr.* ROEDERERI *Præceptoris mei omni cultu venerandi. §. 372.*

(*i*) *Confer.* HIPPOCR. *Lib. de Superfœtatione n. 8.* „*Prægnantem mulierem si aliter non cognoscas, oculi tracti & caviores fiunt & candidum oculorum albedinis naturam non habet, sed lividius existit. Si qua partui vicina sit, & oculos cavos habeat & facies intumescat & ipsa tota, itemque pedes tument, ut velut a pituita a alba apprehensa* „*ap-*

nem corpori vivo inimicam esse morborumque cohortem immittere ex aliis morbis didicerunt. Quæ ergo mala ex embryonis morte & insequente putredine timenda non sunt? facies plumbea, oculorum livor, bulbi depressio, cordis palpitatio, spiritur difficultas & fœtor, capitis dolor, oculorum caligo, aurium tinnitus & susurrus, febris lentitudo, animi deliquia aliaque (*k*). Neque autem istiusmodi mala in gravidis notantur, neque mortuus in utero embryo putrescit. Sæpius enim accidit, ut diu ante partum fœtus morte occumbat, atque nono mense natus septimestrem octimestremque habitu suo, moleque referat, rugosus & contractus, sine ullo putredinis vestigio vel matris prægresso incommodo morboque. Quin, quod omne penitus dubium præcidit, nascuntur gemelli (*l*); quorum alter vivus, integer est, torosus atque perfectus, alter vero demortuus dudum; assimilari enim mole potest septimestri, quin sextum mensem qui vita sua attigit, parvus est, contractus, rugosus: nihil

„appareat, & habeat aures albas, & summum nasum album, & labia livida, ea ipsa mortuos gestat, quos pari„et aut vivos prave, & non vitales, & exangues, vtpote „morbosos, aut prius peperit non vitales. Huic sanguis „in aquositatem versus est. Oportet igitur tali post par„tum odorata &c.

(*k*) *Confer.* EUCH. RHODIO, *primus theorematum ad artem obstetriciam spectantium inter Germanos compilator in L. de partu hominis C. 9. ubi magna istiusmodi signorum farrago recensetur. Pro more multi insequentes cæco obsequio titubantem alienisque fulcris innitentem hodogetam secuti sunt. Conf.* ROEDERER *in lib. cit. C. XVI. §. 376. 377.*

l) *Ejusmodi observationem recenset Celeb.* TREUW *in commerc. lit Noric. Volum.* VIII. *p. 98. Confer. &* DE LA MOTTE *Lib. cit. reflexion. ad obs. 397. &* VOELTERS *Hebammen Schule P. II. Cap. XV. p. 231.*

nihil tamen putredinis notatur. Alias tenuior liquoris amnii pars, in mortui fœtus poros sese insinuando, hunc ipsum fere resolvit maceratque, qualem in Xenodochio parientium a ROEDERERO sectum sine levissima putredinis corruptela vidi (*).

§. XVI.

Neque est, quod miremur. Quis enim nescit æris liberiorem accessum ad putredinem necessario requiri, certissimumque contra eandem præsidium esse aëris exclusionem? Uteri autem gravidi velamenta adeo embryonem liquoremque amnii omni aëris injuria tutos reddunt, ut per plures non solum menses, annos (*m*) incorruptus fœtus moretur. Quando vero uteri contractio velamenta laceravit, vel obstetricis manus; tunc utique mortui fœtus partus expediendus est, nisi quidem gravissima putredine hic infici, & matrix ista mephiti infecta gangræna fœdari debet, atque pessima dictisque multo pejora mala excitari.

§. XVII.

Ferri melius potest id signorum genus, longa tamen atque cauta observatione nitens, quod ab incremento embryonis & expanso sensim abdomine pendet. Quum enim uterum gerens femina vivum embryonem nutrit, non potest non abdomen inde a primo secundoque mense ad finem usque graviditatis elevatum crescere & indurescere. Quotidie enim embryo cum utero & placenta incrementa capit. Cetera itaque omnia si fuerint in salvo nullum que plane graviditatis dubium superfit, abdominis perpetuum incrementum certissi-

(*) *cf. Obs. med. de partu laborioso. Obs. VII.*

(*m*) *Huc spectant Lithopedia, & conferri meretur dissert. Dn.* MORAND *in Memoires de l' acad. Royale des Sciences de Paris Anno 1748. p. 108.*

tiſſimam embryonis vitam indicat. Quum autem gravem embryone uterum eſſe compertum eſt, & nihilo ſecius abhinc aliquo tempore ut abdomen creſcat tantum abeſt, ut potius ſenſim collabatur, contrahatur, umbilicus antea expreſſus retrahatur, hypochondria liberentur, abdominis tumor delabatur ad pelvim, de mortuo onere non eſt quod dubitemus. Quodſi etiam gravida corpus agitans molem huc illucue raptam motamque ſentiat, erectaque ejusdem pondus veſicæ & inteſtino recto incumbere ex teneſmo & urinæ incontinentia vel retentione percipiat, vix ulteriori argumento egebit (n).

§. XVIII.

Prudentia tamen & matris & medici laudanda eſt, ſi in judicio moderati lentique ſigna jungunt, atque argumentorum unitas vires deſiderant. Non ſolum itaque ad embryonis motum tumoremque abdominis attendent, ſed mammarum etiam habitum non negligent. Mira quidem nec dum ſatis explicanda inter uterum mammasque ſympathia eſt, qua pares viciſſitudines patiuntur. Creſcit in pubere virgine matrix, ſanguine uberiori alluitur, inflantur & mammæ, ſanguinem cum pinguedine uberiorem accipiunt. Decreſcit in vetula uterus & conſtringitur, pendent ex exſiccantur mammæ. Largius, cui lunare tributum parcum eſt, nutritur matrix; magis

(n) *Confer.* HIPPOCRATES *de ſuperfœtat. n. 6.* „*Si cui puer „in utero immoriatur & non egrediatur humido utero exi„ſtente & quum jam non habeat amplius humiditatem, ſed „ſiccatus fuit uterus, primum quidem intumeſcit puer, de„inde colliqueſcunt, ac putreſcunt carnes foras que effluunt, „poſtremum autem procedunt oſſa: & fluxus aliquando cor„ripit, ſi non prius moriatur. Quum puer immortuus fu„erit, tum aliis ſignis conjectare id licet, tum jubere, ut „aliquando in dextro latero jaceat, aliquando in ſiniſtrum „transmutet. Translabitur enim in utero puer eo quo mu„lier*

magis in ſana femina expanduntur mammæ. Alii feminæ copioſior ſanguis plurimum uteri nutrimentum aufert, teneriores minoresque ſunt mammæ. Gravidæ uterus expanditur, expanduntur & indureſcunt mammæ. Ita pari modo, cum mortuo embryone uterus collabitur & languent; languent mammæ, collabuntur, pendent, mortuum quaſi, qui alumnus futurus erat, lugent, ſeroſum lacteumque nutrimentum ſua ſponte, ceu ſuperfluum liquorem, effundunt. Quæ itaque ſi medicus obſervat, de morte embryonis judicium obfirmare poteſt (*o*).

§. XIX.

Hæc fere ſunt, quæ medicum ad vitam mortemque embryonis intelligendam ante partum ducere poſſunt. Quum jam parturit femina ad alia omnia reſpicere debet. Quies vivi embryonis toties in partu notatur, poſtquam amnii liquore profuſo arctioribus embryo cancellis continetur, propter ipſum partum delabitur abdomen, totiesque mammæ fluunt. Ipſum potius embryonem, cum primum velamenta rupta propiorem aditum concedunt, examinare medicus debet, & quid agendum ſit cognoſcere. Præſtolari ſine detrimento velamentorum rupturam poteſt, quod ante illam periodum nihil perficere vel poteſt vel debet, vitæ cognitioni amicum. Quid quod, ſi

*„lier ſe vertit, velut lapis aut aliud quoddam, ſi mortuus „fuerit & pectinem frigidum mulier habet. Si vero vivat, „& pecten calidus eſt & venter totus translabitur una cum „reliquo corpore extentus, & in ipſo nihil translabitur „abſque reliquo corpore.„ Et Præceptoris lib. citat. §. 374. „*PEU *L. I. C. V. p. 42 ſqq.*

(*o*) *Conferat.* HIPPOCR. *de morb. mulier. Lib. I. n. 44. „Ovibus in ventre habentibus circa ſeptimum aut octavum menſem, derepente mammarum, & ventris plenitudo collabitur, & ubera gracileſcunt, & lac non apparet, hic di-„cen-*

si quædam, qualis est hæmorrhagiæ, festinatio urgeat, sine hæsitatione velamentis sagax medicus vim infert (*p*).

§. XX.

Tangat autem medicus partem previam aliamque quam assequi potest, & de statu hominis judicet. Facilior multo exploratio est, quum liberum vacuumque orificium vel tenuiori saltem artu fartum, operatoris manum ita admittit, ut ad omnem embryonis partem, ipsumque umbilici funem pergere possit, vitamque embryonis eadem opera explorare, qua fœtum pedum prehensione solvit. Vivit enim fœtus vitamque operator cognoscit, cujus arteriæ pulsant & artus moventur. Tangat itaque umbilici funem cordisque regionem, ut pulsus rationem cognoscat. Tangat lacessatque manuum digitos pedumque, qui in vivo partu contrahuntur, & operatoris digitum prehendunt. Digitum ori infantis inferat, qui suctione linguæque agitatione ipse de vita sua testabitur. Contentus interim unico certissimoque signo esse poterit operator, funis nempe pulsu, quum aliarum forsan partium copia non adest (*q*). Sibi tamen caveat, ne gloriabundus atque arti nimis confidens se vivam prolem protracturum spondeat, dubiam potius & circumstantiis accommodam prognosin faciat, ne promissis turpiter excidat, si forsan, ceu sæpi-

„*cendum est, puerum aut mortuum esse aut vivere & debi-*
„*lem esse. Si enim in ventre habuerint & apparuerint men-*
„*ses, aut abortus fiunt, si plures fuerint, & male olentes,*
„*aut abortus fiunt, si plures fuerint, & male olentes, aut*
„*fœtus morbosi fiunt. Nec non idem Auctor de morb. Po-*
„*pul. L. I. S. S VI. & Aphorism. V. 52. Elementa artis ob-*
„*stetr.* ROEDERERI *§. 378.* SANAH STONE. *Obs. X.*

(*p*) *Vid. lib. citat. Cap. XX. §. 686.*

(*q*) *Conf.* ROEDERERI *lib. cit. §. 388.*

ſæpiuscule præter omnem operatoris culpam accidit, inter extrahendum, diutule fune preſſo, fœtus emoritur. Mortem embryonis, quam exploratione intelligit, confidentius indicare poteſt.

§. XXI.

Ardua autem res eſt & incertitudinis plena, cum prævium embryonis caput, vel alia quæcunque pars amplior integrum orificium ita obturat, ut ad funem partemque mobilem pergere operatori integrum non ſit. Non omni tamen præſidio deſtituimur, varii modo caſus ſi recte diſtinguantur. Ad partum difficilem lentumque ſolum reſpicimus, quod in partu facili & expedito quæſtio de habitu infantis vix moveri ſoleat.

§. XXII.

Et ante reliqua quidem ſigna ponendus eſt præviæ partis, capitis maxime, tumor. In nullo non partu lentiori prævium caput vel alia quæcunque pars amplior ad pelvis oſſa premitur, cutisque & pericranii muſculorumque vaſa arctantur, ſanguis ſtagnans in celluloſam telam effunditur, cutisque in tumorem expanditur. Id quum per omnem partus periodum contingat, efficit ut in lentiſſimo vivi fœtus partu in ſecundum quaſi caput capitis tumor tandem exigatur. Sanguinis circuitum, qui novas perpetim ſuppetias fert, pro elevando tumore requiri, me non monente liquet. Nequit itaque ſanguinis circuitus cum vita fœtus vigere, vbi in lentiore partu prævia pars amplior plane non exurgit, isque tumoris defectus ante partum vel ſub ipſum partus initium embryonem diem obiiſſe indicare poteſt. De vita autem circuituque præſente non eſt quod dubibemus, quoad in tumorem caput aliave pars elevatur, elevatusque tumor ampliatur. Inter ipſam etiam illam partus diuturnitatem tumorisque incrementum ſæpius omnino fœtus occumbit; quo quidem in caſu nihil ulterius expanditur, ſolusque jam formatus tumor manet, neque a doloribus, ut ille fœtus vivi, induratus, ſed ſenſim emollitus.

Sola

Sola itaque tumoris præsentia præsentem vitam minime probat, sed vixisse saltem fœtum sub partus initium. Ut recte fœtum & nunc vivere intelligas, protractum tumoris incrementum observes necesse est (r).

§. XXIII.

Quum caput fœtus in peluim depactum inter pelvis ossa compingitur, & amnii liquore uterus vacuus est, tum spatio in quo artus expandere possit, caret fœtus, tum incitamento: qui videlicet attonitus ex capitis compressione jacet, desinit moveri quiescitque. Nihil ergo ex illa quiete ad mortem vitamque infantis inferre poteris. Neque cum cum successu fontanellæ pulsum indagabis (s). Certius de infantis morte judicabis, si funem forsan ante caput pendentem frigidum pulsuque destitutum tanges, sublati circuitus in sanguine indicem.

§. XXIV.

Solent in agone mortis varii corporis musculi agitari, illique præ reliquis, qui scybala promovent, cum animal suffocatur. Facile itaque est intelligere fœtum, qui nunc it suffocatum in partu, meconio excreto maternum sinum conspurcare, fœdaque meconio genitalia fœtum in summo periculo mortis versantem indicare. Caveas tamen, ne certam inde embryonis mortem inferas, cujus vitam

(r) *Libr. citat. §. 379. 380. 381.*

(s) *Vid.* ROEDERERI *elementa art. obstet. §. 382. Sæpius etiam in xenodochio ostendit tactuque exhibuit recens natorum capita, quæ sine omni ad fontanellam pulsu, infans licet viveret, deprehendebantur.*

tam cum morte luctantem, soluti temporius, servare sæpius poteris (*t*).

§. XXV.

Omnes quidem, quoad fœtus vivit, turgere solent partes, turgere cerebrum, cranium expandere & ossicula, ne sese tangant, dimovere. Collabuntur autem, cum sanguis reliquaque fluida quiescunt, collabitur cerebrum, concidunt ossa, vicina tangunt, margines, si digito os cranii moveas, colliduntur, stridoremque edunt. Stridentia ergo cranii ossa demortuuum esse embrionem nos dato in casu edocere possunt (*u*).

§. XXVI.

Quid autem pro morte embryonis arguenda putredinis indiciis certius esse potest? liquore ex genitalibus putri profluente, fœtore ingrato, mollibus embryonis partibus, secedente carne, cute, cuticula? Cogitet nihilominus operator, epidermidem nonnunquam præter putredinem obstetricis violenta manu detrahi, cum irrito & inepto conamine capitis extractionem, manu sua tumori injecta, molitur. Putris ceterum liquidi fontes sunt amnii liquor, meconium, liquores ex ore naribusque embryonis profusi, placenta & ipse in pessimo casu embryo. Vix enim sine matricis consortio putredine diffluere embryo solet. Distinguere autem a meconio putrorem medi-

(*t*) *Conferri hic quam maxime debet* ROEDERERI *observationum medicarum de suffocatis satura* §. *VI. nro. IX. not. a.*

(*u*) *Conf. van* HOORN *Siphra und Pua P. I. Cap. VI. cf. &* MITTELHÄUSER *practische Abhandlung vom Accouchiren Sect. II. §. 2. p. 33.*

dicus discat. Fœtet hic, quemadmodum saniosi liquores, solutus est & fuscus: odore caret meconium, ex viridi flavo colore aquam tingit, atque crassioribus massulis amnii liquori immiscetur w).

§. XXVII.

Arduo etiam in nagotio, quando anceps hæres medicus, ad varia alia, quæ partum circumstant, respicere debet, ad partus longam moram, fœtusque in angustiis, postquam amnii liquor effluxit, periculosam afflictionem: vix enim lentum istud discrimen salvus eluctari solet fœtus; quare etiam, si cetera omnia paria fuerint, audacter manum admovere potest medicus & sine homicidii crimine vel culpa, cum tertius quartusve a primo ipsius partus initio jam inluxit. Quin id moræ ad necem embryoni inferendam non requiritur, cum varia partus laboriosi periculosique discrimina alia accedunt. Ita sane omne malorum genus, quod in utero materno, antequam videlicet vitalis pulmones spiritus agitet, liberum sanguinis ex embryone in placentam uterumque maternum iter liberumque inde in embryonem reditum intercipit, intra pauca horæ minuta embryonem mulctare vita solet: quo referimus omnes funis stricturas, quibus sanguinis circuitus sistitur; funem inter caput aliamve ampliorem corporis partem & pelvis ossa pressum; quacunque ceterum ratione fœtus positus sit; funem ab obstetrice ex imperitia compactum; funis nodum arctiorem; neque minus funem disruptum, uterique largam hæmorrhagiam, quæ a placenta sanguinem avertit. Huc etiam ista mala pertinent, quæ gravi violentia ipsum fœtus corpusculum afficiunt, sanguinisque circuitum inhibent, collum v. g. varia ratione constrictum, umbilicali fune, uteri vel vaginæ orificio; pressa etiam colli vasa, cum collum nimis incurvatur,

(w) ROEDERERUS *in elem. art. obstetr. §. 385. & 386. & loc. ad not. T. excitat.*

tur, ipſumque caput a corpore avulſum. Præ reliquis vero indiciis omnem dubitationis ſcrupulum evellit, ſi læſum a præcedente operatore, quem ſucceſſus in opere deſtituit, gravi vulnere & lethali corpuſculum deprehendit; quo quidem in caſu non ſolum præter moram opus aggredi medicus poteſt, ſed & debet, quod & partus difficultate & imperita operatoris agitatione fatigata promptiſſimum auxilium efflagitare ſolet parturiens (*x*).

(*x*) *Conf. lib. cit.* §. *389.*

DIS-

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-LEGALIS

DE

FUNICULI UMBILICALIS DELIGATIONE NON ABSOLUTE NECESSARIA

QUAM

DIVINIS SUB AUSPICIIS

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE CONSENSU

PRO

OBTINENDIS DOCTORIS MEDICI HONORIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CHRISTIANUS LUDOVICUS SCHAEL

HANOVIENSIS

DIE I. NOVEMBRIS cIↃ IↃ CCLV.



B. C. D.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-LEGALIS

DE

FUNICULI UMBILICALIS DELIGATIONE NON ABSOLUTE NECESSARIA.

§. I.

Homo naſcendus, dum ovo ſuo incluſus utero geſtatur, corpori cuidam vegetabili non plane abſimilis eſt. Ut enim vegetabilia radice gaudent, cujus ope & terræ nectuntur & alimoniam ſugunt, ſic embryoni placenta data eſt, quæ pari munere fungitur. Eſt autem placenta corpus rotundum, conſtans ex innumeris vaſculis, intermedia celluloſitate conjunctis, quæ tanquam radiculæ ſenſim in concava placentæ ſuperficie auctæ, confluunt, atque in tres magnos truncos ſpiraliter contortos abeunt. Maximus truncorum vena umbilicalis audit, humores a placenta fœtui advehens; duo minores arteriæ ſunt, iliacarum communium propagines, quae venam ſpiraliter amplectentes, ſanguinem ex fœtu in placentam revehunt. Iſti tres trunci, e centro circiter placentæ prodeuntes, in gyros contorti, celluloſa fabrica liquido gelatinoſo plena, & membrana

ex ovi velamentis continuata circumdati, funiculi umbilicalis ideam absolvunt. Ipse vero funiculus, ductu satis pro libera fœtus mobilitate longo decurrens, in umbilicum desinit, vasis dein ulterius in corpusculo distributis; vena quidem ad venæ portarum sinum, arteriis ad suas origines (*a*).

§. II.

Tribus istis vasis umbilicalibus sanguiferis urachus associatur; qui canalis exiguus, conicus, ex vesicæ fundo oriundus, inter arterias umbilicales egrediens, in funiculo finiri videtur: neque enim ad placentam usque cultro vel visu eundem prosequi possumus. Amplior vero est in brutis urachus, & in saccum quendam, quem alantois format, quique urinam ex vesica fœtus per canalem istum recipit, continuatur. In homine vero obscurior ejus usus, mire hactenus physiologos pariter & anatomicos vexavit, cum nulla in humano ovo alantois, certa satis fide detegi potuerit. Hunc canalem urinæ aliquam copiam, ex vesica in cellulosam funiculi fabricam effundere, saniorum physiologorum conjectura est. (*b*) Cum vero ad nostram quæstionem urachus vix pertineat, ad placentam redeuntes, ulteriorem ejus tractationem prætermittimus.

§. III.

(*a*) *Conf. Ill.* PHIL. ADOL. BOEHMERI *figuræ æneæ annexæ Dissertationi: De necessaria funiculi umbilicalis vi vasorum structuræ in nuper natis deligatione, quæ Halæ 1745. respondente* IO. BURCHART *defensa, recusa exstat Tom. V. Collectionis Hallerianæ Dissertationum Anatom.*

(*b*) *Conf. Ill.* HALLERI *Prim. lin. Phys. ed. alt. §. 837. Ejusdem Comment. in Bœrhaav. Prælect. Acad. Tom. V. P. II. §. 68. not. h.*

§. III.

Uteri utplurimum fundo placenta nectitur, & membranis foetum cingentibus continua est ea lege, ut interior earum amnion dicta liquorem, in quo foetus natat, sacco suo includat, funiculum exterius vestiens; exterior vero, chorion vocanda, inter amnion & placentae superficiem concavam producatur, funiculi gelatinam ambiens: & tertia tandem huic inhaerens, filamentosa, totum ovum cum utero nectat; laxius quidem ubi chorion est, firmius, ubi in crassiorem, cum majoribus vasis, circa marginem placentae cellulosam abit. Firmissimus autem ovi nexus est in placentae sede, sulcis in convexa facie praeditae, qui aequalibus uteri eminentiis respondent. (c)

§. IV.

Sed praeter istum placentae usum, quo firmius ovum cum utero nectit, insignior alter est, quem nutriendo praestat corpusculo. Chylum enim, vel partem maxime nutritiam, ex orbita sanguinis materni sorbet, eundem sanguini foetus, per arterias umbilicales advenienti adfundit, hunc denique crudiorem, pulmonum quippe operam nondum expertum, ope circuli per tenuissima sua capillaria vasa continuati, actionibus musculorum abdominalium matris, motu intestinorum & diaphragmatis ejusdem sublevata, intime miscet, subigit, praeparat, ut refluens per umbilicalem venam par sit muneribus tenello corpori praestandis. Placentam adeo pulmonum officio in foetu, dum veri muniere suo vacant, defungi liquet, quod nempe in intima particularum sanguinis comminutione, earumque cum chyloso succo unione consistit. (d)

§. V.

(c) *Conf.* ROEDERERI *Element. Art. Obst.* §. *68.* & *70.* & *Dis. de foetu perfecto* §. *6.* & *7.*

(d) *Cel.* F. HOFFMANN. *Med. syst. Tom. I. Sect. II. cap. 13.* §. *10.*

§. V.

Non ignoro, multis hanc ſententiam paradoxam videri, quippe qui non chylum, ſed ipſum ſanguinem maternum, fœtui communicari aſſerunt, eundemque ex fœtu redeuntem non in placenta, ſed in maternis pulmonibus ſubigi. Putant nimirum vaſorum umbilicalium fines, ſive ultimas propagines, uteri vaſculis ſic inſinuari, ut ultimæ arteriæ uteri, cum ultimis venis placentæ, & hujus ultimæ arteriolæ, cum ultimis uteri venulis per anaſtomoſin cohæreant; atque ſic immediate ſanguis ex matre in fœtum devehatur, qui, quando ob pulmonum deficientem operam iners redditus eſt, matri per arterias umbilicales remittatur, in hujus pulmonibus denuo elaborandus. (*e*)

§. VI.

Sed multa ſunt, quæ immediatum ſanguinis materni ad fœtum iter diſſuadent, ſi experientiam conſulas. Ruyſchius, feliciſſimus ille anatomicus, artificioſiſſimis ſuis injectionibus docuit, ſive materiem in alteram arteriarum umbilicalium, ſive in venam ſiphone propellas, in utroque caſu omnes ſimul, una injectione, & venas & arterias turgidas reddi, adeoque liquidum per alterutrum vas injectum, per reliqua redire, (*f*) nullo in convexa placentæ ſuperficie, quæ utero cohæſit, apparente poruli veſtigio, unde materia injecta efflueret, quam veritatem ego in theatro noſtro anatomico ſæpe vidi comprobatam. Fuerunt etiam, qui uterum gravidum oleo terebinthinaceo, vel alio liquido penetrabili repleverunt, & ne guttulam quidem injectionis, inde in placentæ vaſa transmigratam, ullo

(*e*) *Conf.* HERM. BOERHAAV. Prælect. Acad. cum Notis HALLERI *Tom. V. p. II. §. 679. p. m. 300.*

(*f*) RUYSCHIUS *in theſaur. Anat. paſſim. conf.* BOERHAAVE *l. c. p. 285.*

ullo ſenſu obſervare potuerunt. (g) Porro, quando placenta ab utero ſolvitur, nullum in convexa ſuperficie foraminulum occurrit, ex quo ad vaſa lacerata vel ullo modo hiantia concludi poſſit, nec ulla ſanguinis guttula ullo in loco exſudat, licet aqua calida, ad arcendas aeris ambientis injurias & prohibendum ſanguinis coagulum detineatur; infanti etiam adhuc continua, vigente adhuc inter hunc & illam ſanguinis circulo, quod ſæpius a ROEDERERO experimentis vidi confirmatum: uteri vero gravidi vaſa in ſuperficie concava ſunt adeo grandia, vt digitum admittant, ceu ſecantes obſervarunt clari viri, (h) deglubitur; & probant hæmorrhagiæ, illæſo utero, placentæ ſolutionem quandoque inſecutæ ſatis notabiles. Cum ergo tanta vaſorum uteri verſus placentam lumina ſint, umbilicalium vero ultimæ propagines, quæ placentæ dorſum lambunt, adeo exiles, vt viſum ſubterfugiant; neque vero anaſtomoſis quædam concipi poſſit, niſi quæ ex vaſorum æqualis diametri coalitu oriatur; ex ſola hac differentium luminum conſideratione palam fit, non nimis firmo talo ſtare, quod de anaſtomoſi horum vaſorum auctores paſſim prædicarunt.

§. VII.

(g) MONROO *in actis Edimburgenſibus Tom. II. aliique conf. Gen.* HALLERI *Comm. ad* BOERH. *Prælect. acad. T. V. P. II. §. 78. not. h. Anaſtomoſeos defenſores experimenta his contraria perhibent & imprimis* NOORTWYK *in hiſt. ut. grav. ſed errorem detexit* ROEDERER *in Diſſ. de Fetu perfecto §. 10. quæ recuſſa exſtat Tom. VII. Hallerianae collectionis Diſſert. Anatom.*

(h) NOORTWYK. *l. c. §. 7. no. 3. & §. 9. no. 1. ſed minora prioribus.* MORGAGNUS *Adv. anat. IV. animadv. 26.* BERNH. SIGFR. ALBIN. *icon. Uteri human. gravid.* ROEDERER *ſermo de Comm. uteri & placent. §. VII. in Comment. Societ. Gœtting. a. 1753. T. III. p. 404. ſq. & Icon. uteri humani Obſ. illuſtr. Tab. VI.*

§. VII.

Ulterius ista quæ contra receptam hypothesin hactenus diximus dilucidantur experimentis illis, quæ a ROEDERERO, præceptore meo summe venerando, cujus nomen, ob singularia sua non in me solum, sed in omnes litterarum amantes merita, semper mihi erit venerabile, pro investiganda veritate instituta sunt, quæque mihi nullum amplius dubium relinquunt, cum mihi tam felici esse contigerit, ut omnibus hisce experimentis interesse, paremque cum Præceptore eventum observare potuerim. Recepta nimirum obstetricantibus regula est, ut nato infante, placenta adhuc in utero hærente, funiculum ex parte matris eadem cautela ligent, qua id ex parte fœtus faciunt, & inter utrasque ligaturas perscindant. Recte putant præcaveri hac ratione hæmorrhagiam uteri ex funiculo metuendam, si vasis ejusdem immediata cum umbilicalibus communicatio esset: sed supervacanea erit eorum cautio, si contrarium obtinet. Id investigaturus, laudatus Præceptor omisit ligaturam ex parte matris, & sequentia observata sunt: Parca effluxit sanguinis copia, nullo cum impetu, fluxu post exiguum temporis spatium cessante, neque ulla unquam vera hæmorrhagia insecuta est, ita ut nunc de hac non amplius sollicitus, in omni partu deligationem istam omittat, & in prælectionibus etiam regulam, aliis commendatam, institutionibusque suis insertam, (*i*) talem esse prædicet, qua jure meritoque supersedere possimus. Ne vero quis objicere posset, a constrictis ab uteri orificio funiculi vasis hæmorrhagiam præpeditam fuisse, statum uteri eo tempore tactu sedulo exploravit Vir iste sagacissimus, & orificium invenit laxe solummodo funiculum ambiens, nec ullo modo comprimens; & vasa placentæ quam deinceps extraxerat, sanguine quasi vacua, ita ut nec alteri suspicioni locus remanserit, quæ a coagulo, in rescisso funiculi fine ab aëris accessu nato, desumi potest, ac si hoc ulteriori sanguinis effluvio obicem posuisset.

(*i*) *Elem. art. Obst.* §. *310. no. 1. edit. 1a.*

posuisset. Hæc omnia ex ipsius propriis observationibus (*k*) fusius pernoscenda, satis superque anastomosi contradicunt, ut plura addere non opus sit.

§. VIII

Cum itaque ex hactenus dictis evidentissimum sit, nullum inter vasa rubra placentæ & uteri interesse immediatum commercium, fœtus autem nullo alio modo quam ab humoribus per funiculum a matre advenientibus nutriri possit, evictum esse credimus, villosum placentæ ambitum, utero contiguum, per subtilissimos porulos, quæ rubro sanguini transitum præcludant, ex materno sanguine, in uteri sinubus hærente, succum subtilissimum, eodem fere modo, quo chylum in intestinis confectum vasa lactea villosam eorundem tunicam perreptantes sugunt, resorbere, sanguinique fœtus admiscere. (*l*)

§. IX.

Fœtum dixi nullo alio modo nutriri posse quam per funiculum; neque vero autores in hoc argumento consentiunt. Sunt, qui per os & funiculum simul, sunt etiam, qui per os tantum omne fœtui nutrimentum suppeditari persuasum habeant. Scilicet utriusque sententiæ asseclæ liquorem amnii, qui omne oui spatium fœtu vacuum replet, in cuius originem inquirere plagularum scopus vetat, nutritiæ indolis esse & a fœtu ore assumi sentiunt. Sed satis iam in alienam segetem extravagatus absque ulteriori demonstratione, quam passim alii jamjam dederunt, (*m*) non dissimulo mihi, ponderatis omnibus

(*k*) *Exstant in Comment. Soc. Reg. Getting. l. c.*
(*l*) *Celeb.* F. HOFMANN *l. c. §. 9. Abr. Vater. Diss. de utero gravido Thes. IV.*
(*m*) *Conf. Illust.* HALLERI *Comment. in* BOERH. *Prælect. acad. Tom.*

bus circumſtantiis, eorum potius ſententiam probabilem videri, qui omnem liquori amnii in nutriendo fœtu uſum derogantes, his iſtum muniis præpoſitum malunt, ut liberiorum fœtui motum conciliet, uteri ſenſibile corpus ab injuriis ab iſto motu metuendis defendat, in partu denique vias pandat & lubricet. (*n*)

§. X.

De inſigni partium, quæ uterum gravidum una cum fœtu replent, uſu ſatis ſuperque commentati ſumus. Vocant has communi nomine Secundas, quaſi ſecundo partu, quando fœtus jamjam natus eſt, ex utero eliminari diceres. Quantacunque vero fœtui munera præſtent, quibus ille, ſi rite valere in utero velit, carere nequeat, nato tamen nullo amplius commodo ſecundæ ſuffuturæ ſunt, ſed omnis earum vis, omne beneficium eodem momento perit, quo novus mundi incola hanc lucem ingreditur. Brevi quidem poſt partum temporis interjecta mora, exſiccatus ab umbilico funiculus ſua ſponte decideret, ut nullo artis ſubventuræ auxilio abſolute opus eſſet; aſt omnia fere animalia iſtud quod, ſi ſuæ ſorti fœtus linquerentur, tardius paulo fieret, ſuo ſuorumque commodo citius expediunt, adeoque damno a gravidate & arditate harum partium fœtubus ſuis, ſi diutius affixa manerent, metuendo, naturali quodam inſtinctu ducti proſpiciunt.

§. XI.

Huic vero operi, quo a ſecundinis natos ſuos liberare ſtudent, omnia animalia primas ſuas a partu curas impendunt, una eademque

Tom. V. P. II. §. 682. not. z. p. 352. ROEDERER *Diſſ. de fœtu perfecto §. 13. Ejusdemque nuperas Obſervat. med. de ſuffocatis paſſim.*

(*n*) ROED. *Elem. art. obſt.* §. 72.

que methodo utentes, quæ in præmorsione consistit. Soli homines, munditiei magis curiosi, a sordida operatione, quæ dentium morsu perficitur, abhorrent, & scindente potius instrumento pro eodem scopo utuntur. Addunt præterea aliam cautelam, a ceteris animalibus neglectam, ut ante quam funem perscindant, eundem prope umbilicum ligent, ne sanguis ex fœtu per dissecta vasa possit effluere, natoque, dum nimium vitalis humoris perdit, eadem operatio, quæ pro salute ipsius instituitur, exitiosa evadere.

§ XII.

Scilicet cum (prouti supra §. 1. vidimus,) insignia vasa, quæ in dicta operatione necessario perscindi debent, ex corpore fœtus per funiculum exeant; vulnera vero vasorum majorum funestas semper hæmorrhagias comites habere notissimum sit, procul dubio a periculo, in aliorum vasorum vulneribus observato, ad horum quoque præmeditato consilio infligendorum vulnerum effectum argumentati sunt, crediderunque hæmorrhagiam ex hypothesi metuendam, eadem qua in aliis vasorum vulneribus cum ægrotantium commodo utebantur methodo, id est deligatione, præpediendam esse. Potuit quoque hæmorrhagia per umbilicum non deligatum in recens natis aliquando notata, primos hujus operationis autores, in præconcepta opinione firmasse, ut neglectam funiculi vincturam tenello semper exitiosam putaverint, & pio in nepotes amore ducti, cautelam hanc deligationis, tanquam summe & absolute necessariam, ore scriptisque commendaverint, quæ, quasi ab Eva descendisset, pro vetustissima omnium operatione chirurgica habetur, & hodie adeo solennis est, ut vincturam negligere æque magnum crimen censeatur, ac necem infanti minari.

§. XIII.

Quamquam vero adeo omnibus usitata sit funiculi deligatio, ut ejus neglectus a plerisque medicis absolute lethalis habeatur, & fe-

minæ de infanticidio ſuſpectæ nulla re magis utplurimum graventur, quam prætermiſſo funiculi vinculo; non defuere tamen noſtris temporibus viri eruditione non incelebres, qui cautionem hanc non adeo neceſſariam, ſed ſuperfluam potius eſſe crediderunt. Fuit inter hos IO. HEN. SCHULZIUS Vir ingenii & eruditionis fama clariſſimus, qui, poſtquam novam, de vaſorum umbilicalium in nuper natis abolitione, hypotheſin excogitaverat, (*o*) junctis argumentis ab analogia brutorum deſumtis, vincturæ funiculi abſolutam neceſſitatem primus inter omnes ſerio impugnare conatus eſt; (*p*) quam deinde ſententiam alii quoque clari inter medicos viri arripuerunt, & inter ICtos cauſarum patroni ſibi ita appropriarunt, ut ex SCHULZII auctoritate, quoties de neglectu vincturæ vaſorum umbilicalium in caſu infanticidii quæſtio eſt, reos gravamine liberari debere ſibi perſuadeant, licet maxima celeberrimorum medicorum turba in contraria adhucdum opinione verſetur.

§. XIV.

SCHULZIUM nova ſua hypotheſis poteſſimum eo duxit, ut ligaturæ neceſſitatem negaret. Fatendum enim eſt deligationis utilitatem in maturo fœtu nullam fore, ſi geniculum iſtud, (*q*) cujus ope vaſa fœtus cum vaſis placentæ in umbilico ex SCHULZII ſententia connecterentur, re vera exiſteret, fœtuque in lucem edito rumperetur, vaſis dein ad origines ſuas ſponte ſe retrahentibus & evaneſcentibus: cum autem neque ipſe SCHULZIUS, neque alii pro ſententia SCHULZII militantes medici, tale geniculum revera viderint, &

(*o*) *Diſſ. de Vaſis umbilicalibus natorum & adultorum Halæ 1733. recuſſa Vol. V. Diſſ. Anat. ſelect. ab Ill.* HALLERO *collect.*

(*p*) *Diſſ. An umbilicali deligatio in nuper natis abſolute neceſſaria ſit. Halæ 1733. recuſſa in Collect.* HALLER *Tom. V.*

(*q*) *Diſſ. an delig. fun. neceſſ. §. 1.*

& omnes in universum celebriores anatomici, arterias umbilicales venamque cera repletas, ex funiculo in abdomen fœtus absque commissura continuas & ubique cylindricas, in adultis vero neque abolitas, neque retractas, sed coalitas & in ligamenta mutatas demonstrent; non mirum est quod totum systema labascat, fundamentis anatomice falsis superstructum.

§. XV.

Quanquam vero geniculum illud SCVLZIANUM communi anatomicorum consensu proscriptum sit, non desunt tamen alia argumenta, quæ absolutam vincturæ necessitatem dubiam reddunt. Primo quidem provocat SCHULZIUS ad analogiam brutorum, quae fœtubus suis, absque ligatura vel alio contra hæmorrhagiam præsidio, funiculum sine damno præmordent, cum tamen horum fœtus, simul ac in lucem editi sunt, pedibus plerumque jam insistant, quo situ sanguis suo pondere ad inferiores partes impellatur, quum recens nati homines, dorso incumbentes, adscensuro sanguini aliquam difficultatem objiciant. r) Addunt alii quod brevior brutis funiculus & minus quam hominibus tortuosus, hæmorrhagiæ periculum in istis animalibus augere videatur. s) At vero adversarii regerunt, lenta ista masticatione qua bruta hoc negocium absolvunt, vasa umbilicalia comprimi, & crebris dentium impressionibus ita compillari, ut sanguis effluere nequeat, tandemque salivæ commixtione linctuque vulnus consolidari. t)

§. XVI.

Ut autem pateat utrum masticationis linctusve præsidio hæmorrhagia in istis animalibus præcaveatur, an causa potius in structura corpo-

(r) *l. c. §. 5. p. 11.*

(s) HALL. *in not. ad* BOERH. *Prælect. Tom. V. P. II. §. 693. n. c.*

(t) *Conf. Cl.* SCHULZE *l. c. Ill.* P. A. BOEHMERI *Diss. de necessaria funiculi umbilicalis deligatione §. 27. p. 48,*

corporum lateat; sequens experimentum proferam. Canis gravida sex peperit catulos, quorum primo postquam totus cum secundis suis natus erat, funiculum forfice sine ligatura perscindere conatus sum, dimidii pollicis ab umbilico distantia. Nullum ante operationem pulsum in funiculo sentire poteram, neque hæmorrhagia secuta est, unica solummodo sanguinis guttula vulnus irrorabat. Aliis duobus funem pari modo dissecui, secundis adhuc in matre delitescentibus, & funiculo vix ad dimidii pollicis spatium ex vulva propendente, quos adeo neque lingua neque dentibus suis mater ante operationem tangere potuit; sed par fuit operationis eventus; nullus ante dissectionem pulsus tactui se obtulit, & ora solummodo vulnerum sanguine madida erant; quo digitis absterso, ne guttula amplius in conspectum prodiit. Reliquos tres catulos, in quorum funiculis pulsus vestigium itidem nullum erat, matri reliqui, ut illos morsu a secundinis liberaret, in quo opere diu detinebatur, ad decem fere minuta prima in quolibet fune, non quidem ex naturæ instinctu, ut vasa eo melius, ut vulgo credunt, compingeret, sed, ut mihi saltem videtur, quod funiculi lubricitatem, & vasorum imprimis tenacitatem, quæ tanta erat ut membranas funem cingentes dudum ante vasa dilaceratas viderim, dentibus suis prius superare non potuerit; dilaceravit potius quam præmorsit funiculum, ore namque secundinas tenens, pedibus fœtum depellens. In his pariter ut in prioribus cruentata vasorum ora conspiciebantur & in universum eodem modo se omnia habebant, nisi quod relicta ab umbilico portio in his ob masticationem conquassata penitus esset, & gelatina vacua, priusque exsiccata decideret; in illis vero forfice tractatis suum adhuc robur & rotunditatem, ob gelatinam intra cellulas adhuc detentam, servaret, tardiusque exsiccaretur. Omnes vero catuli pari vivacitate gaudebant. Idem experimentum cum alio tempore repeterem, catulo funem, arteriis debiliter adhuc pulsantibus, rescidi, sanguine parca copia & absque saltu ex vulnere destillante, cessante autem pulsu sua sponte cohibito. Hoc itaque experimento, quod quilibet facile in aliis quoque animalibus reiterare poterit, admonemur, ut

in

in alias sublati post partum sanguinis per umbilicalia vasa circuli, rationes inquiramus.

§. XVII.

Antequam vero ad causarum istarum examen transeamus, præmonendos esse lectores censemus, quod hic de arteriis potissimum nobis sermo sit, nemine facile de hæmorrhagia ex vena lethali cogitante, cum sanguinis motus in vena ab exterioribus ad interiora fiat, adeoque hæmorrhagia non nisi circulo naturali penitus inverso possit contingere. *u*) Difficile etiam non est explicare venæ umbilicalis spontaneum coalitum, cum nullum a partu, prouti ex supra dictis patet, sanguinem accipiat, adeoque nullo extensa liquido collabi, & lateribus suis, ut aliæ in corpore vivo sibi absque motu contiguæ partes solent, concrescere debeat.

§. XVIII.

Dilatatio arteriæ & luminis ex minori circulo in majorem mutatio pulsus vocatur, & ab impulsu novæ undæ sanguinis in elasticas arterias oritur. Intercipitur autem pulsus iste, quando obstaculum quoddam inter cor & arteriam quandam natum est, quo sanguinis ad eundem canalem propulsio impeditur. In experimento supra citato vidimus, pulsum in arteriis umbilicalibus catulorum vel nullum, vel debilem saltem post partum superstitem fuisse, disquirendum nobis igitur est, quidnam in animalibus recens nati accidat, quo cordis in ista vasa actio sponte tollatur; & utrum felicitate tali humana quoque soboles gaudeat, an vero illa brutis tantum jure meritoque tribuenda sit?

§. XIX.

(*u*) SCHULZE *l. c. §. 4. p. 10. Ill.* BOEHMER *Diff. cit. §. 23. p. 42.*

§. XIX.

Primo quidem refpirationis primordia obfervanda veniunt, quæ infignem quandam mutationem in toto fanguinis circulo pariunt. Scilicet quando fœtus in utero hæret, pulmones, propter aeris abfentiam alterno ifto infpirationis & exfpirationis actu deftituti, corpora fiftunt collapfa, denfa, & molis exiguæ, adeoque vafa horum vifcerum compreffa & complicata, fanguini alias tranfituro refiftentiam pariunt: Quando vero ex ergaftulo fuo egreditur fœtus aeremque ducere incipit, tunc alia ipfi fcena luditur. Inflati quippe ab irruente aere pulmones expanduntur, vafa explicantur, omnemque fanguineam maffam, ex toto corpore per venas in cor dextrum reducem, per arteriam pulmonalem recipiunt, cum olim exiguo folummodo hujus fluidi rivulo tranfitum concederent, reliqua & quidem majori portione; eo tempore per alias vias ad aortam refluente. Quo itaque tranfitus fanguinis per pulmones fit liberior, eo major redditur hujus liquidi ad hæc vifcera determinatio, eoque minor evadit ejus ad aortam impetus. Porro thorax a partu pro recipiendo aere infigniter dilatatur, abdominis cavo in eadem proportione decrefcente, quum diaphragma defcendens hepar & reliqua abdominis contenta deprimat, qua de caufa non vifcera folum, fed omnia quoque abdominalia vafa comprimuntur, fanguinisque impulfui ad hæc loca jam imminuto infignis refiftentia nafcitur. (x)

§. XX.

Deinde quando directionem arteriarum umbilicalium accuratius examinamus, aliter illa in nafcendo, aliter in nato ordinata deprehenditur. Scilicet fœtus in utero globuli ad inftar convolutus jacet

(x) *Conf.* IO. FRIED. CASSEBOHM *Progr. de differentia fœtus & adulti.* *Gen.* HALLERI *Comment. in* BOERHAAVII *Prælect.* §. *692. n. e.*

cet, (*y*) qui ſitus arteriarum umbilicalium directioni ita favet, ut in linea quaſi recta ex iliaca communi in umbilicum continuentur, reliquis iliacarum propaginibus oblique & ad angulum exeuntibus; unde ſanguinis per umbilicales arterias liberior, per reliquas impeditior evadit tranſitus. Fœtus vero utero excluſus in rectitudinem expanditur, quo fit, ut ſanguis ex iliaca non ita expedite ut antea in umbilicalem impelli poſſit, quum hæc jam cum priori angulum valde acute retrogradum efficiat, (*z*) qui quidem in homine maxime inſignis, imo tantus eſt, ut in experimento Generoſiſſimi HALLERI, Præceptoris mei ad rogum usque colendi, cera per alteram arteriarum umbilicalium injecta crus utrumque repleverit, per alteram non redierit, plica, quam dicta flexura ad primam hujus arteriae originem formaverat, materiæ exitum denegante (*a*). Hac igitur priſtini ſitus mutatione, ſanguinis ad umbilicales arterias, nunc etiam inter abdominis viſcera & maſculos preſſas, impulſioni tanta reſiſtentia naſcitur, ut vel plane nihil, vel parciſſima ſolummodo copia iſtas anguſtias ſuperare valeat. Sublato hac ratione æquilibrio inter impetum liquidi extendentem & vim vaſorum contractilem, poſteriore nunc prævalente, arteriæ umbilicales ſecundum omnes ſuas dimenſiones contractæ ſponte coeunt & occaleſcunt, ſanguine, priſtino meatu occluſo, reliquos iliacæ ramos minus reſiſtentes legente. Inde eſt quod partes genitales pedesque potiſſimum fœtui imperfectiores, inſignia incrementa a partu capiant.

§. XXI.

(*y*) ROEDER. *Elem. art. obſt. §. 79. & Icon. uteri humani. Cf. etiam Icon. quam dedit* NOORTWYK *in Hiſt. Ut. grav. Tab. III.*

(*z*) *Conf. Commerc. litt. Nor. an. 1733. hebd. 48. p. 378.*

(*a*) HALLER. *in Comment. ad* BOERH. *l. c.*

§. XXI.

Dictis hactenus mutationibus aërem denique externum suam quoque symbolam conferre, non est quod dubitemus; dum pondere suo propulsioni resistat, qua humores versus exteriora propelluntur. Id enim cucurbitularum, suctionum, balneorumque tepidorum usus, & animalia sub antlia intumescentia docent, in eam partem corporis, a qua compressio aëris removetur, humores nostros vi magna ruere (*b*). Iam vero quum foetus in utero latens ab omni aëre libero seclusus sit, necesse est illum dicta propulsionis facilitate gaudere, confirmante id succulento & tumidiusculo, quem in recens natis observamus, corporis habitu: Quando vero is nunc exitum minatur, aërisque pondus frigusque, cum reliquis mutationibus (§. 19. & 20.) sentire incipit, tunc cordis impulsus, omnibus hisce resistentiis uno simul momento sibi illatis nondum assuefactus, adeo infringitur, ut non ita expedite ut ante humores versus exteriora propellere valeat, inde humiditas in tota corpusculi superficie dissipatur, cutis & umbilici, vasorumque umbilicalium ad constrictionem jamjam nitentium strictura promovetur, & sanguis denique dictorum vasorum, quem cordis vis infracta movere nequit, sola quiete abit in coagulum, quod omnem reliquam cavitatem obturat.

§. XXII.

Atque hæc quidem in hominibus æque ac in brutis a partu accidunt, & ad explicandum istud intercepti pulsus in arteriis umbilicalibus phænomenon, quod in catulis supra tetigi & in humanis quoque fœtubus deinceps recensebitur sufficiunt; quibus si insitam istam, propriam & internam ad coalitum & transmutationem aptitudinem, qua vasa umbilicalia omnium in universum animalium gaude-

(*b*) *conf. Ill.* HALLERI *Comment. in* BOERH. *Præl. acad. T. II.* §. *215. not. l.*

gaudere videntur, jungimus, non video quo jure homines ab iſta ſpe naturalis præſidii, qua bruta animalia ratione umbilicalis negotii fruuntur, excludendi ſint, cum ſimiles cauſæ ſimilem ſemper effectum producant, adeoque ex ſolo hoc fundamento eadem felicitas hominibus competat; quos, cum reliquis animalibus a ſapientiſſimo rerum omnium conditore præcellentiores creati ſint, minus internis præſidiis ad vitam ſervandam neceſſariis, ab eodem munitos fuiſſe vix credibile eſt.

§. XXIII.

Quando vaſis umbilicalibus (in paragrapho præcedenti) propriam quandam & internam ad coalitum & transmutationem aptitudinem tribuimus, quæ partus tempore, determinantibus cauſis ſuperius (§. 19. 20. 21.) allegatis in actum deducatur, neminem facile habebimus noſtræ ſententiæ refragatorem, cui reliquarum partium in corpore animali ſponte mutabilium hiſtoriam, in mentem revocare volupe erit. Eſt enim hæc communis omnium partium ſolo temporario uſui deſtinatarum lex & regula. ut, finito functionis ſuæ termino, vel mutentur vel aboliantur; id quod in adultis partium genitalium muliebrium, mammarumque imprimis & alia exempla docent, in fœtubus vero foramen ovale, ductus venoſus & arterioſus, & quædam ex glandularum genere organa, quæ omnia abſoluta functione ſua ſponte vel eſſe deſinunt, vel tantas mutationes patiuntur, ut priſtinis uſibus non amplius ſufficiant. Idem adeo de umbilicalibus vaſis valere neceſſe eſt, cum corpora ſint fœtus tantum uſibus deſtinata, a partu inutilia, imo noxia futura, ſi cava manerent. (c)

§. XXIV.

(c) *Conf. Com. litt. Nor. 1733. hebd. 49. p. 385.*

§. XXIV.

Sed satis puto conjecturis istis & argumentis ab analogia desumtis dimicatum est; experientiam potius consulamus, optimam omnis veritatis magistram, videamusque an dictis hactenus commodis, quæ brutis nemo denegat, humanam quoque prolem natura donaverit. Celeberrimus SCHULZIUS duas observationes allegat, (*d*) in quarum utraque funiculus sine ligatura abscissus, nullam hæmorrhagiam comitem habuit. Exstant præterea in Commercio litterarum Norico, (*e*) Actis A. N. C. (*f*) ALBERTI jurisprudentia medica, *g*) aliisque pluribus locis TREWII, ELLERI, KALTSCHMIDII, (*h*) ZELLERI, (*i*) aliorumque similes observationes, in quibus omnibus funis umbilicalis, vel casu vel præmeditato consilio, omissa deligatione rescissus fuit, nullo inde vitæ periculo fœtui insecuto, cum sanguinis vel plane nihil, vel parca solummodo portio effluxerit.

§. XXV.

(*d*) *diss. cit. §. 16. & 18.*

(*e*) *a. 1733. hebd. 41. it. a. 1735. hebd. 51.*

(*f*) *E. N. C. Vol. II. obs. 50.*

(*g*) *Tom. III. cas. 13.*

(*h*) *in Progr. de intermissa funiculi umbilicalis post partum deligatione non absolute lethali Jenæ 1751.*

(*i*) *in Diss. Tubingæ 1692. habita, de vita humana ex fune pendente cap. II. obs. 3.*

§. XXV.

Omnes vero isti casus, a contrariae sententententiae patronis, pro extraordinariis habentur, cum alias observationes, imo multo plures dari contendant, quae funestum omissae deligationis eventum testentur. Objici autem his posset, in brutis quoque aliquando haemorrhagiam ex funiculo lethalem fieri, neque tamen inde quemquam ad absolutam necessitatem deligandi in illis animalibus funiculi concludere ZELLERUS (*k*) exemplum tale ex vacca refert, cui tamen generi animalium, observante eodem auctore, funiculus utplurimum sua sponte & absque damno ex umbilico rumpitur. Rarissimi casus sunt omissae deligationis humanorum funiculorum, si cum deligatis conferas, si vero, inter debitas cautelas, semper omitteretur, vix unicus forsan inter mille infantes inveniretur, noxam ab omissa funiculi deligatione perpessus. Causa vero haemorrhagiae recens natis aliquando funestae in eo utplurimum latet, quod cito nimis humani foetus a secundinis rescindantur, ante quam superius citatae causae in umbilicalia vasa agere, id est pulsum & humorum per ista vasa circulum tollere valeant. Brutis licet spissior sanguis & ad coagulum pronior, & vasa strictiora, & cutis strictior qua vasa comprimantur ab auctoribus quibusdam tribuatur, (*l*) & licet pulsus quorundam eodem fere momento quo foetus e vulva prodit in funiculo pereat, ut in experimento nostro (§. 16.) vidimus, ista tamen animalia hoc praemorsionis negotium non prius aggrediuntur, quam cum totus foetus cum secundinis suis jam enixus est, quem antequam de

(*k*) *Diss. cit. cap. II. obs. 9.*

(*l*) *conf. Ill.* BOEHMERI *diss. cit. §. 27.*

de funiculo cogitent, lingua ubique lambunt, & a membranis aliisque fordibus liberant; funiculi vero lubricitas & vaforum tenacitas dentibus eorum adeo refiftit, ut omnibus hisce laboribus horæ fere fpatium vix fufficiat. Quis inde non agnofcit divini conditoris fapientiam, qui ita hæc, in falutem animalium ratione deftitutorum & avertendi periculi nefciorum, ordinauit, ne citius præmorfum funem, antequam humorum commercium interceptum fit, lethalis fanguinis jactura fequatur: hominem vero ratione donavit, & ad difcernenda hæc phœnomena aptum reddidit; is adeo tantis non indiget ambagibus, fed refecare uno ictu forficis, etiam absque vinculo, eo memento poteft, quo pulfum in funiculo fublatum, & vafa funiculi fanguine quafi vacua, & contracta paulum effe fenfibus fuis habebit cognitum, id quod paucis a partu minutis continget, prouti ex experimentis fide digniffimis didici.

§. XXVI.

Laudandus mihi hic iterum eft Præceptor, ROEDERERUS, qui me præfente & adjuvante complura experimenta circa hunc rem inftituit, quæ ipfe jamjam obiter in coronide elegantiffimarum obfervationum de fuffocatis (*m*) tetigit, dataque occafione, in ordinem redacta & ad exactiffimam revocata calculum, cum publico communicare pollicitus eft hæc vero eft experimentorum fumma: Quando poft enixum fœtum placenta absque mora extrahitur, tunc fanguinis circulum ex fœtu in placentam & ex hac iterum in fœtum adhuc integrum, ex pulfu ubique tangendo cognofcimus. Aft primo fere horæ minuto omnis in placenta humorum motus perit, quod iterum ex pulfu dignofcitur, qui in funiculo primum loco a placenta propiori,

(*m*) *Obferv. med. de fuffocatis Satura, p. 53.*

piori, deinde post aliquot minuta loco a placenta remotiori, & sic successive semper altius altiusque perit, & plane tandem, post pauca minuta, in omni funiculi, præter distantiam aliquot ab infante unciarum, tractu cessat, manifesto argumento impulsionem, quæ ex corde adveniens sanguinem ad umbilicalia vasa propellit, a causis supra dictis infractam, in tanta a corde distantia omnem paulatim vim amittere. Idem est experimenti eventus, quando placenta in utero relicta ad pulsum funiculi attenditur, ubi pariter illum paucis a partu minutis citius in aliis, in aliis tardius gradatim periisse observavimus. Raro vero pulsum post quadrantem horæ, computatione a primo momento exitus corpusculi inita, in loco funiculi ab umbilico proximo superstitem fuisse memini, frequentius sexto circiter minuto omnis circulus jam sublatus erat. Quando nunc funiculus loco quodam ubi pulsus adhuc tangi potest resecatur, sanguis vi quadam, neque vero tanta, quanta in aliis arteriarum vulneribus solet, prosilit; & infans tunc omnino vitam cum sanguine perdere potest: resectus vero eo in loco ubi pulsus jam desiit, nullum omnino sanguinem fundit funiculus, ibique frigidus & rigidus vasa sistit angustissima, fere penitus contracta & vacua, ut si ad illud usque momentum, quo pulsus omnis in funiculo sublatus est, placenta fœtui continua relinquatur, filo stringente non opus sit.

§. XXVII.

His itaque rite perpensis videmus deligationem funiculi operationem esse minime absolute nacessariam, cum vasa sua sponte & absque vinculo coeant sed ideo solummodo suum sibi in arte obstetricia locum vindicasse, quod citius plerumque quam ubi humorum per umbilicalia vasa circulus cessavit, infantes recens nati a secundinis liberentur, quo tempore nondum omnis hæmorrhagiæ metus ponendus est. Quando vero sagax obstetrix, vel alius quidam homo partus tempore præsens, funiculum

non prius resecat, quam ubi de intercepto sanguinis per ejus vasa circulo constat, quod ex pulsus absentia dignoscitur, tunc nullum omnino fœtui inde damnum metuendum erit, licet deligationis operatio negligatur.

§. XXVIII.

Ex dictis patet quid statuendum sit de iis infantibus, qui a personis suspectis clanculum editi & absque funiculi vinculo sepositi, judicum examini subjiciuntur. Clamant utplurimum Medici, in elogiis suis, contra miscellam matrem, eamque ex solo vincturæ neglectu infanticidii ream denunciant, cum tamen frequenter, nisi aliud violentiæ signum in corporis externa vel interna superficie appareat, nec actu crimen commiserit, nec animum forsan habuerit in propria viscera sæviendi. Partus dirissimi cruciatus parturientes adeo labefactare solent & angere, ut prius de liberando a secundinis fœtu, si solæ pariant, cogitare utplurimum nequeant, quam ubi, omni secundinarum mole excreta, linquentem animum paululum revocaverint: Interea vero temporis omnis plerumque mutatio circuli sanguinis sæpius dicta in infante jam absoluta est, & nulla amplius deligationis urget necessitas, & potest vita fœtus absque vinculo servari, nisi alia externa violentia, vel ipsa mors naturalis, ob caussas internas, ex structura corporis præternaturali vel partus circumstantiis dignoscendas, oborta, vitam in limine surripiat. Ne vero nefandis patrocinari videar hominibus, negandum mihi non est, esse inter parturientes quasdam, quæ cito satis & absque nimia defatigatione pariunt, hasque, in partu solitario, fœtus suos sola omnino vincturæ omissione interimere posse, si cito nimis funiculum & brevi relicta portione resecent; aut etiam si pedibus insistentes pariant, ipseque funiculus, solo corpusculi pondere tensus, prope umbilicum rumpatur, infante in terram procidente. Quo enim propius ab umbilico funiculus vel rumpitur vel resecatur, eo facilius hæmorrha-

morrhagia ſequetur, cum tardius hic, citius prope placentam vaſa ſtringantur, & ſanguinis motus deſinat, prouti ex antecedentibus didicimus.

§. XXIX.

Caute igitur procedendum eſt in examine corporis delicti, quando de vita hominis coram judice agitur. Neque enim ſufficit neglectus vincturæ, cum illa ſub certis circumſtantiis, ex noſtra obſervatione, jure ſuo & absque infantis damno omitti poſſit; ſed omnia potius cum judicio, ſerioque examinanda ſunt. Videndum an ſugillationes forſan in corporis externa ſuperficie ſimul adſint; quanquam & hæ non ſemper violentiæ a matre illatæ teſtes ſint fide digniſſimi, cum non raro partus diuturnioris difficiliorisve effectus eſſe obſerventur, præſertim tumor ille capitis, a capitis fœtus nimia mole, pelvis maternæ capacitatem excedente, quæ difficilioris partus ſpecies omnium frequentiſſima eſt, ortum trahens (*n*). Aperto vero thorace & abdomine, cavendo ne majora vaſa lædantur, examinatis viſceribus an palleant & exſanguia ſint, an ſanguine turgida, cor imprimis & vaſa majora quæſtionem noſtram, an ex hæmorrhagia enectus infans fuerit, dilucidabunt (*o*). Quando enim viſcera rubent, corque cum auriculis ſuis & vaſis majoribus ſanguine deprehenditur turgidum, manifeſte id indicat infantem ex hæmorrhagia non periiſſe: quando contra viſcera pallent, cor cum auriculis & vaſis majoribus exſuccum & depletum eſt, tunc mortis ex hæmorrha-

(*n*) ROEDERER. *Obſ. de ſuffocatis Satura paſſim.*

(*o*) *Conf.* ROEDERER. *de ſuffocatis p. 52. §. 15. no.* 2. IOH. DAN. FARENHOLTZII *ſub Ill.* HEISTERI *Præſidio 1752. Helmſtadii habita diſſertatio de neceſſaria inſpectione cordis vaſorumque majorum ſub legali infantum ſectione. §. 8.*

morrhagia funiculi indubitatum id ſignum erit, ſi, quod probe notandum, aliud vulnus, ex quo ſanguinis jactura fieri potuerit, non adeſt & reliqua ſigna vitæ poſt partum actæ, quæ brevitatis cauſa hic omittimus, ſimul reſpondeant.

DIS-

DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA
DE
CAUSIS NECESSARIO MORTEM IN PARTU INFERENTIBUS

QUAM

IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

DIVINIS AUSPICIIS

CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

PRO

OBTINENDIS DOCTORIS MEDICI HONORIBUS

PUBLICE DEFENDET

BALTHASAR LAURENTIUS ZEIS

RAUSCHENBERGA HASSUS

D. XXIV. NOVEMBR. MDCCLVI.


SVAVISSIMO

ZEISIO SUO

S. P. D.

I. G. R.

Amabilem Medicinam vix hactenus dixisses, laborum memor, quos tulisti, noctum pervigilum, itinerum tenebricosorum putriumque squalorum: si virtute aliquid formosius, aliquid pulchrius, aliquid amabilius cognovisses. Haec quidem una omnium vox est; pauci licet in istarum laudium societatem venire enitantur. Cui vero magis, quam TIBI gratuler? cui id contingit magnitudine tum animi, tum etiam ingenii atque consilii. Id Virtutis atque dignitatis assecutus es, ut homines aegros, & fortuna, quam vitare nemo potest, non culpa calamitosas parientes, conservare pessis incolumes. Ipse saepe praesens expertus sum, quam praeclara sit ingenii TUI maturitas atque constantia. Secunda certe sperare poteris, quem adversa non terrent, unice securus. Fac valeas meque mutuo diligas. Scr. D. XXIV. NOVEMBRIS 1756.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

CAUSIS NECESSARIO MORTEM IN PARTU INFERENTIBUS.

§. I.

Quæ sint Causæ Mortis Generales?

Moriendi necessitas in eo posita est, quod circuitus omnis fluidorum per vasa sanguifera, in nervis motus, & meatus aëris in pulmones intercipitur ita ut commercium inter penetralia capitis & cordis tollatur: quo fit, ut omnis mors ultimo vel Apoplexia vel syncopa vel suffocatione contingat. Hæc autem interceptio plures atque diversas agnoscit causas: ex quibus magis generales sunt, Dilaceratio canalium ad vitam necessariorum, ut in ictibus, vulneribus, contusionibus viscerum, cerebri, medullæ oblongatæ, cæt: Obstructio viarum, quæ circulum humorum sustinent: Effusio necessarii ad eundem finem liquoris: Virium tanta debilitas, quæ firmas partes movere fluidaque circumagere haud valeat. Obstructio mortifera fit ex. gr. a compressione, a concretis fluidorum, quæ polypi solent appellari, canales intercludentibus; a spasmorum vehementia, in epilepsia, apopoplexia, suffocatione simplici, vel in ea quæ catarrhum habet conjunctum, vel ab ea, quæ ab utero procedit; similibusque in morbis: in quorum multis effusio humoris simul evenire solet. Per profusionem humoris vitalis, vel etiam al-

Nnn 2 terius,

terius, qui vasis æquilibrium præstat, mors accidit in hæmorrhagiis modum excedentibus, in vulnerationibus majorum vasorum, in emissione copiosa aquæ intercutis per paracentesia, cæt. Defectus virium motum vitalem sufflaminat in lipothymia, phthisi, marasmo, qualibet consumtione corporis tabida; cæt. Istarum vero causarum plures sæpe possunt & solent ad mortem inducendam simul concurrere.

§. II.

Quænam speciatim sint causæ Mortis in Partu?

In partu quæ Mors contingit, ejus occasionem dat fœtus, &, qui tot tantisque cum molestiis a matre enutritus & ad auræ vitalis usuram percipiendam productus est, eidem sæpe necem importet. Facit autem hoc fœtus, quatenus per uterum, hospitium suum, atque vias partus, in vitam & valetudinem matris agere potest. Quapropter uterus cum partibus conjunctis, quæ ad fœtum concipiendum, & ejiciendum faciunt, præcipuam præbent sedem affectionibus, ex quibus mors mulieris parturientis incidit: ita, ut hactenus quoque valeat, quod legitur in *Operibus* HIPPOCRATIS (*a*). *Uterus mille miseriarum in muliere causa.* Possunt autem hæ partes male affici vel suo ipsarum aut fœtus vitio, vel culpa rerum aliarum externarum aut hominum partum tractantium. Sic vitio partium ipsarum aut fœtus, difficilis existere potest partus, adeoque vita matri eripi, si fœtus aut ejus caput nimia mole laborat, quam ut foras prodire per vias naturales queat: Si pelvis, aut os uteri, vaginave nimis angusta vel a natura vel a morbis sunt: si fœtus extra uterum hæret in tuba, in ovario, in abdomine: si is perversum situm tenet, qui partum fieri omnino prohibet: si fœtus intus restat emortuus,

(*a*) *in Epistola ad Hippocratem, Democrito tributa Tom. I. p. 283. editionis Linden.*

tuus, aut ejus caput, aut secundæ vel harum aliqua portio: si in universæ partus nimium diu durat: si spasmi uterini, & graviores justo dolores urgent, &c. Externa culpa, sive ut loqui amant, ex caussis procatracticis vita parientis periclitatur, si pariendi labor omnino supprimitur: si partes genitales graviter vulnerantur ictu sclopeti, contusione, violentia tractationis vel instrumentorum cæt. Si medicamenta pellentia inconsulto adhibentur: si morbus gravior in partus tempus incidit, ut inflammatio uteri, hæmorrhagia uterina, ruptio uteri, gravis & maligna febris, convulsio, lipothymia, perversus infantis & uteri situs ab obstetrice illatus, cæt. Videamus, qua ratione tales casus mortem inducant parturientibus, eos ad genera caussarum in præcedente §. proposita reducendo: tum quoque circumspiciamus, an & quibus remediis ejusmodi funesti casus præverti vel curari queant.

§. III.

I. *Casus ubi fœtus in lucem prodire nequit propter malam partium conformationem aut loci errorem.*

Primo, quod attinet ad eos casus, qui ex vitio partium continendo fœtui destinatarum, ipsiusve fœtus, accidunt; dictum est, evenire aliquando, ut infans aut ejus caput grandius sit, quam ut per apertam quoque viam ordinariam, quantumvis etiam diductam, excludi queat, præsertim si is monstrosus, aut geminus, aut hydrocephalo, vel aqua intercute distentus est, aut si pelvis mulieris justo angustior est. (*b*) Eodem redeunt casus, ubi os uteri vaginæve

(*b*) *Vid. e. c.* CHRISTOPH. VOELTERI *Hebammen - Schule p. 112. edit Stuttgard 1722. 8. Momoires de l' Academie de Chirurgie Tom. I. p. 646.* ROEDERERI *Obss. de partu laborioso Obs. VIII. Epicr. 6.*

nævc nimis arcta sunt: si propter pravum infantis in utero positum partus fieri nequit: si conceptio facta est in tuba Fallopiana, vel in ovario, vel abdomine; & variæ aliæ difficilis partus species. Quodsi istiusmodi in casibus fœtus omnino claustra perrumpere non possit, laboresque pariendi non intermittantur, non conquiescant; necesse est mulier mortem oppetat. Nam quia naturæ vires obstaculum, actionibus suis a ventris gestamine positum, ad quod removendum perpetuo exstimulantur, superare nequeunt; motus nimium intenti uterum vicinasque partes inflammant, febrem accendunt, qua pereunt vires, ut tandem præ debilitate circuitus fluidorum deficiat: aut sanguis, qui per utrum perrumpere non potest, copiosius ac vehementius urgetur in caput, cerebroque oppresso, viisque spirituum interclusis soporem inducit vel apoplexiam creat: aut in convulsionem abeunt irritamenta, & spasticis motibus cor & cerebrum pervertuntur occluduntur que. Sic mulier apud EPIPHANIUM FERDINANDUM (c), quæ eadem primipara fuit, ex partu gemellorum, in quo per tres dies laboraverat, mortua est febre viriumque lapsu. GUERNIER ROLFINCIUS (d) refert, parturientem inter gravissimos dolores epileptico paroxysmo per quatuor horas exagitatam exspirasse, sed tertio post die duos ex mortua fœtus prodiisse, deprehensum esse. Primiparam quoque morientem habet, ejusque difficultatis causas exponit FORESTUS. (e) Obesæ feminæ mortem in partu describit GEORG. HIERONYMUS WELSCHIUS, (f) irritis laboribus in de-

(c) *in Centum historiis Medicis Hist. pag. 344.*

(d) *in Dissertationibus Anatomicis Lib. VI. Cap. 33. pag. 1195.*

(e) *Observationum & Curationum Libro 28. Obs. 72. confer.* 10. STORCH *von Weiberkrankheiten V. Band. p. 171. seqq.*

(f) *Curationum propriarum & Consiliorum Decade VIII. Curat. 2. Conf.* THOM. BARTHOLINI *Historiarum Anatomicarum & Medicar. Centur. V. Hist.* 47.

defatigationem & soporem abeuntibus. Apud GUIL. FABRICIUM HILDANUM (*g*) exstat exemplum parturientis ex prostratione virium post acerbissimos dolores motusque fœtus vehementissimos & venas hepatis & ossis sacri ruptas mortuæ, partusque impediti causa inventa fuit uteri scirrhus.

§. IV.

Quibus conditionibus mater cum intus retento fœtu vita durare possit, quibus non?

Nonnunquam quidem contingit, ut fœtus intus retineatur & per longum temporis intervallum, adeoque integrum vitæ spacium, a matre circumgestetur absque morte inde consequenter. (*h*) Verum, non aliter hoc fieri potest, quam fœtu intra suas membranas adhuc concluso, locisque, quibus accrevit, firmiter hærente, ubi postea durescit, pariendique moliminibus requiescentibus. Nam, si tunicis ruptis homores effunduntur, putredine nata non potest non vita matris pessumdari, quemadmodum posthac palam fiet. Pariter, si stimuli doloresque partus continuant, nec tamen partus absolvi potest; vires puerperæ cum vita tandem succumbant necesse est, sicut ante dixi.

§. V.

(*g*) *Observationum Chirurgic. Centur. III. Obs. 57.*

(*h*) vid. *Memoires de l'Academie de Chirurgie Tom. 2. pag. 324. seqq. Conf.* LAUR. STRAUSSII *Resolutio Casus Mussipontani. Memoir. de l'acad Royale des Sciences A. 1748. p. 105. sqq.* ROEDERERI *elementa art. obstet. Cap. XXV. §. 780.*

§. V.

Quibus modis fœtui exitus parari, matrisque mors a-verti possit, & primum si via naturalis amplior reddi potest.

Quum igitur in his casibus mortis necessitas vnice ex eo pendeat, quod infans hospitium suum relinquere nequit: omni ope nitendum est, si matris vitam servare velimus, ut fœtus sive vivus sive mortuus ejiciatur absque gravi periculo matris. Duplex autem via est, per quam ad illum scopum medicus pervenire potest: vel enim ejusmodi status adest, ut naturalis & ordinarius transitus ampliari, vel fœtus minui queat, & tum fœtus per eum excuti: vel fœtus extra vias naturales hæret, & loca muliebria ita constituta sunt, ut nec fœtus per ordinarium iter protrahi possit, & partes genitales satis diducere plane non liceat ad transmittendum infantem, sed alius exitus quærendus sit. Prior casus existit, ubi matrix aut vagina membranis tumoribusve vel integre vel magnam partem occlusæ sunt: ubi eaedem post acceptum vulnus, dilacerationem in partu, similesve læsiones, magnam partem coaluerunt: ubi partes carnosæ vel membranaceae, nimis duræ, strictæ, tumefactæ sunt, ut cedere satis nolint; ubi osseæ pelvis aperturæ nimis sunt arctæ, cæt. Hic, quæ præter naturam concreverunt, recedenda sunt, quæ inter se glutinata, separanda: quo nec in ipso partus tempore omittendum erit, quanquam longe melius est, si jam ante factum fuerit. Si partes molles ob tumorem inflationemve vel adstrictionem nimis resistunt dilatationi; fomentis, inunctionibus, injectis relaxantibus adhibitis multum sæpe efficere licebit, ut sine gravi dolore satis diduci queant. Etiam pro majore fœtus mole transmittenda spatium ordinario majus quandoque esse, compertum est, siquidem ipsis natibus duplicata membra, monstraque pluribus artus capitibusve donata

protrahi

protrahi possunt, *i*) modo spasmi graviores absuerint, justumque & aptum tempus observetur. Ossa autem, quæ pelvim formant, in laborioso partu, sine matris periculo, a se invicem abscedere, quo transeunti fœtui locum faciant valde dubitandum *k*).

§. VI.

Secundo, si viam naturalem superare plane non licet.

Ast aliquando per naturales vias exitus plane negatus est, eædemque reserari sine gravissimo periculo nequeunt: ut, si insuperabilis adest angustia genitalium, si nimis compressa pelvis est, si interius uteri ostium callosum, aut exostosi scirrhove duratum est, fœtus extra uterum situs est in tuba, in abdomine, cæt. Si matrix per herniam extra locum suum excessit, nec repelli potest cæt. Ita VOLTERUS (*l*) refert, in muliere quadam ossa pelvis tam angusta fuisse, ut non nisi unum digitum transmiserint, quamobrem, inter irritos pariendi labores exstincta est. CHRIST. VATERUS (*m*) proponit casum mulieris, cujus vagina post ulcus tota callosa facta erat, ita ut tantummodo foramen pisi magnitudine remanserit. THOMAS SIMSONIUS

(*i*) *vid.* ROEDERERI *Observationes de partu laborioso, nuper per editæ Obs. V. pag.* 18.

(*k*) *cf. excell.* ROEDERERI *Elementa artis obstetr. Cap. I. §. §.* 14. *sqq.*

(*l*) *Lib. allegato, Parte* 2. *Cap. I. pag.* 112.

(*m*) *in Diss. de Partu Cæsareo ex observatione* GODOFREDI DE LANKISCH, *quæ eadem exstat in Actis Erudit. Lips. a.* 1693. *p.* 229. *seq.*

SIMSONIUS *n*) callofam deprehendit in parturiente uteri cervicem, quam quum diffecuiffet, mulier poft 24. horarum intervallum exanimata eft. Hernias uteri memorabiles obfervarunt SENNERTUS, *o*) & FABRICIUS HILDANUS, (*p*) in tali rerum ftatu nulla datur alia ad matrem liberandam via, quam Sectio, quæ dicitur, Cæfarea, qua & matrem & infantem fæpe fervatum effe, fatis exemplorum documentis demonftratum eft.

§. VII.

II. *Cafus, fi partus abfolvi nequit propter Paragomphofin.*

Frequenter accidit, ut propter eum infantis in genitalibus matris pofitum, qui Paragomphofis vocatur, partus fieri nequeat, & nifi imminui vel loco dimoveri poffit, aut alia via protrahi, tam matri quam infanti moriendum fit. Huc etiam fpectat, fi caput fœtus humerique finibus & offibus pelvis ac vaginæ firmiter impacti hærent, ita ut alter humerus offi pubis affixus fit, alter offi facro; adeo ut fæpe nulla ratione loco moveri queat. Caufa mali tum in magnitudine capitis quærenda eft, tum in obliquitate matricis. Dum vero fic hærent partes, premunt atque irritant uterum cum fuis vafis fibrisque ac nervis, unde fpaftica ejus nafcitur conftrictio, qua cuneo quafi adigitur infans, ut neque ulterius promoveri, neque in uterum retropelli poffit. Crefcentibus fic fpasmis, & fanguine magis

(*n*) *in Medical Effays of a Society at Edinburge Vol. III. Obferv. 19. p. 315.*
(*o*) *Practicæ Libro IV. Parte I. Sect. 2. Cap. XVI.*
(*p*) *in Operibus pag. 893-916.*
(*q*) *Confr.* ROEDERERI *Elementa art. obftetr. Cap. XVII. Sect. I. §. 400. feqq.*

gis magisque accumulato, parturiens aut ex inflammatione & insequente gangræna matricis, aut convulsionibus, aut defectione virium exstinguitur, accedente præsertim quoque morte putredineque fœtus. (*q*)

§. VIII

Quomodo huic malo succurrendum sit?

In hoc periculo, si nullo modo positum infantis emendare eundemve vivum extrahere licet, aut embryulcus sero nimis advocatus fuerit, quum jam insuperabilis adest paragomphosis; primo quidem tentandum an relaxantibus, venæ sectione, clysmatibus cæt. constrictio tolli, fœtusque in aptum situm reduci, aut protrahi possit. Quodsi his nihil effectum sit; nullum aliud suppetit auxilium quo mater servetur quam ut aut fœtus ferramentis ejiciatur, aut per Cæsareum partum extrahatur. Et sectione quidem ventris eximere fœtum forsan convenit, si is adhuc vivit, & mater ferendæ huic chirurgiæ suffectura videatur: sic enim utriusque vita, tum matris tum infantis, in tuto collocari poterit. Contra ea, si fœtum jam emortuum esse, certe sint indicia, aut saltem verisimillima suspicio: vel si mulier viribus exhausta sustinere sectionem ventris nequeat; actutum violenta manus admovenda fœtui, isque ferramentis evellendus erit. Neutrum tamen fieri decet, ubi post plurium dierum afflictionem jam moribunda femina pulsum exhibet febrilem, inæqualem & intermittentem, sopore opprimitur, abdomen ostendit tumefactum cæt. Nam quum in tali rerum statu mulier sub ipso cultri aut instrumentorum usu animam redditura sit; vulgus in eam veniret opinionem, medentis opera mortem fuisse properatam: id quod utique cavendum est. (*r*)

§. IX.

(*r*) *cf.* ROEDERERI *Obs. de partu laborioso Obs. XX.*

Ooo 2

§. IX.

III. *Casus, mors ex nimiis partus doloribus.*

Poteſt quoque mors puerperam prehendere, ſi dolores pariendi modum nimis excedant, ab impedimentis partui poſitis nati; cujus rei exempla jam ſupra §. III. ex FABRICIO HILDANO & ROLFINCIO allata ſunt. Omnis autem dolor nimis vehemens & immanis tandem abit in diſtentionem nervorum, qua tum plerumque adhuc magis impeditur partus, ſpasmis motus naturales pervertentibus, vias obſerantibus, & fœtum in malum ſitum compingentibus; unde aegrotantes convulſæ, compreſſis obſtructisve cerebri vaſis, ex apoplexia moriuntur.

§. X.

Quomodo his malis occurrendum ſit?

Si unquam alias, in hac certe dolorum immanitate, quæ tantas turbas excitat, partumque magis ſupprimit quam promovet, conveniunt anodyna, mites clyſteres, & potiſſimum præſentaneæ virtutis opiata, quod quidem periculum in omni mora eſt: Hæc dolores ſedant, ſpasmos conſopiunt, turbulentosque motus ad quietem componunt; quo facto partus ſæpe feliciter ſuccedit. Et quantum pacatus motuum ſtatus ad partum abſolvendum conferat, argumento eſt, quod in ſomno etiam bene pepererunt mulieres, ſicut demonſtrat Celeb. & Ill. HEISTERI Diſſ. *de Partu mirabili fætus vivi in ſomno matris profundo:* & Ill. WERLHOFIUS (s) ſcribit, ſe noſſe feminam, quæ in ipſo ſopore, poſt adminiſtratam largam venæſectionem & admotas cantharides, peperit infantem; adeoque, poſtquam

(s) *in Obſervationibus de febribus Sect. I. §. V. fin.*

quam obita morte motus omnes paulatim defecerunt, tamen persæpe fœtus, sive vivi sive mortui, per vias antea constrictas ad exitum promoti sunt. (t) Præstat autem, talia sopientia in vino suave fragrante vel aquis vinosis similibus exhiberi, quæ nimirum tum ipsa sub blando sulphure volatili motus placant, tum vires dejectas refocillant. Simul considerandum, an sanguinis copia missionem sui postulet: quæ si convenit, ante usum reliquorum erit celebranda.

§. XI.

IV. *Casus, si partus nimium diu durat.*

Aliquando mors inde venit in puerpera, quod pariendi labor nimis diu perseverat: id quod fieri solet vel ob ineptam parturientis tractationem a rudioribus obstetricibus aut embryulcis: vel propter ipsarum ægrarum errores, quibus pervertuntur recta naturæ molimina: vel ob infirmitatem puerperæ: vel ob conjunctum pravum infantis situm, aliasve difficilis partus causas. Quæ tum mors obrepit, ea debilitatem virium exhaustarum consequitur, & ad Syncopen referenda videtur. Auxilium in tali statu primum a perita manu obstetricante sperandum erit, qua quantocitius infanti via paretur, partusque absolvatur: tum a recreatione virium.

§. XII.

(t) *Exemplorum abunde videri licet apud* CHRISTIAN. VATERVM *in Diss. de partu hominis post mortem matris, in Directorio Medici-Practico. p. 350.* MARCELL. DONATUM *de Historia Medica Mirab. Lib. VII. Cap. 9. Ephemer. Naturæ Curios. Dec. 3. anno 3. Obs. 218. & anno 7. append. pag. 77. Breslauische Versuche 4. Vers. p. 1191. 19. Vers. p. 314, Hægendorn Observ. & Hist. Centur. 3. Obs. 13. &c. Pertinet huc quoque relatio* ROLFINCII *supra §. III. proposita.*

§. XII.

V. Casus, si fœtus intus Mortuus est.

Ubi fœtus intus restat emortuus, hic matrem quoque sua calamitate implicare solet, & lucis usura privare, nisi celeriter abstrahatur. Ex observatione FELICIS PLATERI (*u*) puerpera, conatibus pariendi omnibus cessantibus, fœtum retinuit emortuum: posthæc pellentibus adhibitis, consecuto uterino fluore, putris, alba, fœtidissimaque materia per octo hebdomadum spacium profluxit, accedente interim febre, corporeque adeo contabescente, ut nihil ferme carnosi retineret, abdomine tantum valde in transversum protuberante duroque donec post viginti hebdomadum intervallum a termino partus exspiraret. GREG. HORSTIO narrante (*x*) mulieri cuidam ob fœtum intus in utero mortuum acciderunt pallor faciei squalidus, anhelitus graviter olens, assiduus ardor stomachi frequentia animi deliquia, capitis & oculorum dolores, etiam epilepticæ convulsiones, attamen leviores, una cum ventris mole crescente, cæt. posthæc emortuus quidem fœtus medicamentis abactus est, sed femina post aliquot hebdomadas apoplexia leviore tacta fuit, in paralysin dextri lateris abeunte: a qua licet utcunque restituta, tamen insequente anno, apoplexia nervorumque distentionibus reversis exstincta fuit.

§. XIII.

Ratio mortis inde consequentis, & Remedia.

Collatis his phænomenis patescere videtur, emortuum in utero fœtum propterea vitæ matris funestum fieri, quia, præterquam quod

(*u*) *Observationum Lib. I. pag. 211. seqq. edit. prima anno 1614. pag. 215. seqq. edit. 3. a. 1680.*
(*x*) *Observationum Lib. V. Obs. 37.*

quod ab intercepto partu natura affligitur, inprimis etiam a putredine fœtus & secundarum concepta sanguis & humores matris inficiuntur, & inducta febre vitales vires prosternuntur, ut tandem integre deficiant, motusque vitæ perpetuandæ necessarios destituant, quanquam in horum extremis conatibus etiam leves convulsiones oriantur. Quibus malis arcendis quid opus facto sit, non poterit obscurum esse; excutiendus enim ante omnia fœtus est: simul analeptica acidula, putredini opposita, propinanda; si spes adhuc superest, ægram evasuram esse.

§. XIV.

VI. *Casus, si quid eorum, quæ cum partu excerni debent, in utero restat.*

Non absimilis est conditio, ubi quid eorum, quæ cum fœtu connexa sunt, aut ejus partem constituunt, intus remansit: ut caput avulsum, (y) hoc enim premit segmentum uteri inferius, unde inflammatio oritur, quæ in putredinem & gangrænam abit; secundæ, aut earum portio quædam, molæ, grumi sanguinis, &c. HENRICUS SMETIUS (z) refert, filiam suam, exclusa puella posteaque duabus molis, propter ingens animi deliquium, ex copioso sanguinis profluvio natum, retinuisse secundas, & statim subsidente ac corrugato utero, deinde eas expellere non potuisse. Quo factum est, ut febribus variis cephalalgiis, inquietudine, corporisque jactatione, vigiliis, vehementer fracta fuerit. Et licet compluribus uteretur remediis, & aliquot chorii frusta, manu obstetricis educta, forcipeque comprehensa, protrahere tentaretur, tamen irritis omnibus, quum etiam ob dolorem puerperæ intolerabilem a chirur-

(y) vid. ROEDERERI *Elementa art. obst. Cap. XXII. §. 705.*
(z) *in Miscellaneis Libro X. pag. 575.*

rurgia abſiſtere oporteret, tamen tertia poſt partum hebdomade nondum exacta, animam exhalavit. Ex hoc & ſimilibus exemplis aliis apparet, mortis, quæ a talibus retentis inducitur, rationem iisdem contineri cauſis, quibus in præcedenti caſu, ſcilicet infantis intus mortui, interitus adſcribendus eſt.

§. XV.

Quomodo in his malis ſuccurrendum, præſertim retentis ſecundis.

Ut vero tale fatum avertatur, nihil magis conferre videtur, quam id, quod intus relictum eſt, quamprimum ejicere. Et caput abruptum ſi adhuc hæret in utero, ſine mora protrahi debere, ſecundum methodum ROEDERERI *in Element. Cap. XXII.* §. 708. ſeqq. præſcriptam, nullum dubium eſt. Verum de Secundis, & nonnullis aliis, incidere poſſunt caſus, ubi dubitandi locus datur, utrum ea evellere conſultum ſit, an relinquere & vel naturæ negotium permittere, vel commodius exſpectare tempus. Nam ſi ſecundæ paulo firmius adhæſerint, eas protrahendo matrix ipſa provolvi poteſt, vel digitis intempeſtive inſertis ſolvendo violari, & ſanguinis fluxus, inflammatio, ulcus, convulſiones aliaque gravia mala concitari, uti triſte hujus generis exemplum in ROEDERERI *Obſervationibus de partu laborioſo* nuper editis. *Obſ. VI. p. 20.* legi meretur. Contra, ſi mora nectitur in educendis ejusmodi reſiduis; deinde aut contracto utero non amplius licet in eum pervenire ad iſta eximenda, quæ tum poſtea plurimum damni creare poterunt: aut propter eadem relicta, matrix omnino prohibetur, ne ſeſe contrahere queat, tumque ſanguinis curſus immoderatus ſequitur, qui mortem afferre poſſit. In hac ambiguitate conſilium, ut dicitur, ex arena capiendum erit: Itaque, ſi gravis hæmmorrhagia præſens eſt, quum ea compeſci nequeat, niſi ejectis quæ intus reſtant, hæc actutum oportebit, quam leniſſime fieri poterit, eximere. Si quoque ſecundæ levem

levem tractationem facile sequantur, optimum videtur eas statim educere, muliere resupinato, quia sic non ita facile matricis procidentia metuenda est. E contrario, si validius inhaeserint, nec quid graviorum symptomatum ab earum retardatione proveniat; praestabit paululum morae concedere, donec ab utero se contrahente sponte secedant, sicut saepenumero consuevit. (*a*) In nosocomio hic optime instituto hocce experimentum toties repetitur, quoties mora quaedam in placentae solutione intercedit; quodque imprimis optime ibidem decurrit, quando puerpera semihora post partum in cubiculo aliquoties incedit & ambulat, ubi doloribus supervenientibus uterus se contrahit, & placentam sine ullo alio auxilio expellit.

§. XVI.

VII. *Casus, ubi substantia uteri dilaceratur.*

Vulnerationes partium continendo transmittendoque foetui dicatarum ita graves, ut perruptis vasis fibrisve, ipsaque uteri substantia, aut cruor effusus intus restagnet, aut foras prorumpat, & fibrae potentiam rite movendi humores amittant; saepenumero vitae matris funestae fiunt. In illa partus specie, ubi situs uteri peccare solet, hoc ut plurimum accidit. Capitis enim pondere, uterus comprimitur, inflammatur, una cum matre emoritur, vel in pus resolvitur, foetusque per abscessum exitum molitur. Haec quoque symptomata reperiuntur, ubi nulla dolorum ad partum remissio, locum habet, caput

(*a*) vid. HEISTERI *Instit. Chirurg. P. II. Sect. V. Cap. CLV.*

(*b*) STORCH *von Weiber-Krankheiten IV. Band, 2. Theil pag. 92.*

caput apprimitur utero, hujus ſubſtantia attenuatur & tandem diſrumpitur. Morbi inſuper uteri locales, præſertim ulcera illa inveterata, tanquam metaſtaſes morborum cum imperfecta criſi decurentium multum ad hanc uteri disruptionem afferre poſſunt. Memorabilis ille caſus quem ROEDERER in *Obſervat. de partu laborioſo* Obſ. VIII. pag. 28. proponit, hoc optime illuſtrat. Ejusmodi enim ulcera pus ſuum propter dolores & contractiones tempore partus emittunt, quod matricis ſubſtantiam erodit & exedit. His in caſibus nulla fere, niſi in operatione cæſarea ſpes aliqua ſupereſt, & certa mors inſequitur matris, quoties auxilium differtur, ut pars disrupta a ſphacelo corrumpi poſſit.

§. XVII.

VIII. *Caſus, ſi puerpera ipſa pariendi laborem ſupprimit.*

II. Converto me ad eos caſus, ubi propter externam culpam mors puerperæ contigit, id eſt, ubi non genitales partes mulieris, nec fœtus cum ſuis appendicibus, per ſe peccant, ſed cauſæ, quæ vocantur præternaturales, & quæ extra has partes exiſtunt, accedunt ad pariendi negotium, illudque ita pervertunt, ut in mortem præcipitetur parturiens. Ex his ſunt primo peccata ipſarum puerperarum: ut, ſi partum cohibeant, & infanti renuant exitum concedere, naturæque conatibus reſiſtentes, eos obſtinato animo reprimere connitantur. Quod quanquam vix credibile videatur in genetrice, partim, quatenus fœtum ſuum tanto cum affectu concepit, fovit, ex ſeſe aluit, & ad hunc plenae vitæ ingreſſum perduxit: partim, quatenus plurimis gravibusque cum moleſtiis geſtatio fœtus conjuncta eſt, adeo ut tam propter amorem infantis, quam ad gravitatis onus amovendum, partus exoptantus ſit; tamen aliquando rarum ejusmodi exemplum obſervatum eſt. Ita narrat VITVS RIEDLINUS

LINUS (c) puerperam in flore juventutis constitutam a matre, obstetrice, sacerdote, Medico nullo pacto, sive precibus seu blandis admonitionibus seu minis, eo promoveri potuisse ut pariendi molimen adjuvaret, vel saltem exitum fœtui concederet, sed doloribus vehementer urgentibus præfracte obnixam fuisse, quos quidem ploratu ejulatibusque obliterare tentavit, ac femora tam fortiter ad se invicem adduxisse, ut nullo modo dimoveri potuerint: quumque sic per aliquot horarum spatium infantem, qui vitam suam validissimis motibus satis proderet, partu prohibuisset, tantem convulsiones accedentes tum ipsam tum fructum exstinxisse. IDEM alio loco (d) refert, in artificis cujusdam uxore, postquam priore partu bene perfuncta erat, in altero, quum dolores per integrum biduum, spretis blanditiis pariter ac severioribus verbis, supprimere contendisset, gestibusque oppositis impedivisset, etiam supervenisse convulsiones, a quibus tamen, quum tandem monitis & medicinæ dedisset locum, simul cum partu liberata fuit.

§. XVIII.

Quæ Remedia hic locum habere possint?

Qua ratione nervorum distentiones, quibus hujusmodi mulieres pereunt, interitum afferant, jam supra significatum est. Quibus autem remediis utendum sit, haud ita expeditum est, quandoquidem ipsa puerpera nitatur contra, &, si vi adhibita cogeretur ad pedes diducendos, manum embryulci vel obstetricis admittendam, &c. eo magis metuendum foret, ne in convulsiones rueret, ac fœtum una secum perderet. Optimum fuerit, placito probabilique sermone sensim lenire componereque perturbatum animum, si ullo

(c) *in Lineis Medicis anni 1695. p. 448.*

(d) *Lin. Med. Anno 1698. p. 221 seqq.*

ullo pacto fieri poterit, quo tum absolvendo partui sese morigeram præbeat. (*e*) Aut leni Anodyno cum suavibus confortantibus sociato dolores & motus efferatiores complacandi, animusque ad quietem reducendus erit, quo partim distentio nervorum avertatur, adeoque curetur, partim reliquis ad partum peragendum necessariis via paretur, præsertim quum paccatis motibus partum sæpe longe felicius succedere compertum sit.

§. XIX.

X. *Casus, violationes genitalium graviores.*

De ejusmodi violentiis, quæ extra partus tempus incidunt, nunc non loquor: ut, si mulier gravida cadat in ventrem, si plagam aut ictum accipiat, si bombarda vel sclopeto percutiatur, & sic porro. Ego vero de iis tantum ago violationibus, quæ vel pariendi negotium ipsum cum pernicie præcipitant, vel inter pariendum accidunt: ut, si obstetrix aut embryulcus ventrem mulieris durius trudunt pulsantve: si nimiam vim adhibent & cruciatus creant in embryulciæ administratione: si manibus aut feramentis lacerant uterum: si secundas fortius, quam decet, evellunt: si nimium & intempestive pariendi labor urgetur: si medicamenta pellentia perperam præbentur; & quæ sunt similia. Mors, quæ tales læsiones sequitur, quatenus profusionem nimiam vitalis humoris agnoscit causam, in syncope consistit: quatenus ejusdem in disruptis contusisve vasis restagnationem, corruptione putrida sive gangræna cum suis consequentibus, contingit.

§. XX.

(*e*) *Consilium Mr.* DE LA MOTTE *dans son Traite complet des accouchemens Lib. VI. Chap. VII. p. 575. hic quoque locum habet.*

§. XX.

In quibus remediis hic spes aliqua supersit?

Desperata plerumque res est, cum ejusmodi violationibus, & in hæmorrhagia vehementi solet brevi vita deficere, neque in gangræna diu durare. Celeri itaque & promto remedio opus est in cursu sanguinis ad eum compescendum, si fieri potest: quem ad finem ante omnia fœtus, aut secundæ, aut coactus sanguis, similiaque, si intus sunt, eximenda: tum sistentia interna externaque præbenda, non neglecto regimine conveniente. Quodsi dirupta matrice fœtus in cavum ventrem protrusus sit, nec retrahi possit; non aliud suppetit auxilium, quam cæsarea sectio, uti jam dictum: Nam & ad humores, qui vasis elapsi sunt, expurgandos uterumque sanandum opus est, ut abdomen aperiatur: & nisi hoc fiat, cum infans qui per naturalem viam educi nequit, exstinguitur, tum mater, quæ nimirum cum utero rupto & fœtu extra hunc propulso liquoribusque suis effusis computrescente, vivere non potest. Inflammatio denique & gangræna discutientibus & antisepticis internis externisque tractanda erit: Etenim hoc in casu, ubi gangræna latius, quam per solum uterum proserpere consuevit, temerarium foret consilium exscindendi uterum, quod alias nonnunquam in utero corrupto vitam servavit. (*f*)

§. XXI.

X. *Casus ubi fœtus ab obstetrice in perversum compellitur situm, ut partus absolvi nequeat.*

Pariter accidit, ut ejusmodi rudioribus obstetricum tractationibus

(*f*) *vid.* GE. FRANCK DE FRANCKENAU *Satyra medica 2. Nota 4. 5.* FEL. PLATERUS *in Observationibus Libro III. p. 718. edit. a. 1614.*

bus infans in perverſum redigatur ſitum, qui partum plane impediat, adeoque efficiat, ut mater ex difficultate pariendi mortem oppetat. De quo mortis genere quum jam ſupra §. XI. quatenus ex pluribus etiam aliis cauſis oritur, actum ſit, hic nihil addere neceſſe eſt.

§. XXII.

XI. *Caſus, ſi funeſti morbi mulierem tempore partus prehenderint.*

Denique morbi quidam, in partus tempus incidentes, puerperæ funeſti eſſe ſolent: ut inflammatio & hæmorrhagia uteri, gravis & maligna febris, convulſio, lypothymia cæt. Gravida quædam, ut referunt *Acta Medicorum Berolinenſium* (g) vehemente paroxyſmo febrili correpta, ſub ipſo quidem horrore fœtum edidit octimeſtrem: at œſtu febris perſeverante, viribus admodum proſtratis, accedentibus poſtremo nervorum diſtentionibus ſequente die mortua eſt. Memorabilem exponit caſum IOH. NIC. PECHLINUS (h) mulieris in ipſo pariendi labore ſuffocatione uteri convulſiva pereuntis: Mulier erat annorum duorum & viginti, quadrato & obeſo corpore: hæc ut eſt gravidarum appetitus ad noxia propenſus, crudis auſteriſque fructibus oppleverat, ſobriam diætam ſemper exoſa. Accidit autem, ut proxime ante partum cum marito contentione maxima altercaretur. Vix hæc erant acta, quum partus dolores, cumque iis occulta dudum vitioſorum humorum ſaburra, erumpere cœperunt. Duraverant aliquamdiu dolores, ſed ſine effectu, intercipiente

(g) *Volumine IV. p. 70.*

(h) *in Obſervationum Phyſico-Medicorum Lib. Obſ. 30. p. 69. ſeqq.*

piente refpirationem flatuum copia, quam nec clyfteres neque alia diminuere poterant. Mox animo linquitur, omnisque in angufto labor eft: inde paululum ad fe rediens uterinis, caftoreo, & fucco Nepethæ reficitur. Prodierunt quidem ructus nonnulli: fed iterum oppreffa voce, gulæque, quod digito fignificabat, vinculo injecto, obdormifcit; interea miffis fubinde fufpiriis motibusque convulfivis aut vitam aut vitæ reliquias teftata. Una interim ex præfentibus opiferisque feminis refert, in illa mortis imagine infantem fuis fe viribus clam inter ftragula eduxiffe, matre duntaxat gemitibus aliquot motibusque convulfivis mutationem prodente, quæ quum indicia mortis effe putarentur, partus fuiffe ex ejulatu conftitit. Inde omnia quietiora, nifi quod trium horarum agonem fufpiria motusque convulfivi interpolarent, tandem etiam finirent, irritis etiam volatilibus fortiffimis. (*i*)

§. XXIII.

Ratio mortis in ejusmodi morbis.

Uterina hæmorrhagia fi interficit, hoc facit fyncope, quæ ex profluvio fanguinis & inde orta debilitate nafcitur. Febris & inflammatio fimiliter virium proftratione mortem inferunt. Lipothymia cum Syncope copulatur. Quomodo convulfio vitæ fcenam claudat, antea dictum eft. Remedia quoque fuis locis indicata funt, quæ his malis opponi poffunt, ne perimant, fi fpes adhuc fupereft.

§. XXIV.

Mors in partu plerumque culpa hominum contingit, raro neceffitate naturæ.

Hæc, quæ adhuc expofita funt, fi breviter memoria repetantur

(*i*) *Confer.* DE LA MOTTE *dans fon Traite des Accouchemens Chap. XV. Obf. CXXVII. feqq.*

tur; apparet, plurimis quidem cauſſis & affectionibus obnoxiam eſſe puerperam, quæ ejus vitæ vim inferre queant; pleraque tamen mala vel ita eſſe comparata, ut remedio locus ſit, modo peritus artifex tempori advocetur; vel a negligentia perverſaque tractatione obſtetricum, embryulcorum, eorum qui circa parturientem ſunt, aut ipſarum prægnantium, originem ducere. Unde concludere licet, paucas admodum puerperas ex neceſſitate naturæ diem ſuum obire, ſed fere tantum peccato ſuo vel aliorum hominum.

DIS-

DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA
DE
VERSIONIS
IN EXTRAHENDO PARTU
PRAESTANTIA ET ADMINICULIS

QUAM
DIVINIS SUB AUSPICIIS
CONSENSU GRATIOSI ORDINIS MEDICI
PRO
SVMMIS IN ARTE MEDENDI CAPESSENDIS HONORIBUS
D. XXVII. APRILIS. MDCCLVII.
PUBLICE DEFENDET

HERMANN NICOLAUS KIENMANN
LUBECENSIS.

Qqq


PRAENOBILISSIMO

KIENMANNO

S. P. D.

I. G. R.

Quod a me exspectas, gratulandi officium laetus TIBI persolvo, quum exspectationem, quam de TE omnes, qui TE norunt, facile conceperunt: fortunato eventu confirmari video. Sapientem enim, nostras litteras, quae ab ipsa salute nomen sortitae sunt, tractandi rationem ingressus, tantas TIBI doctrinae medicae opes comparasti, ut ordo noster praemia, quae TE decent, TIBI decerneret. Neque unquam spero futurum esse, ut judicii de TE opinionisque de commodis, quae patriae TUAE adferes, illum poeniteat, maxime quum docto ingenii TUI specimine, quod in publicum producis & litterario certamine, in quo praeclare staturum TE esse auguror, TE honoribus, TIBI conferendis, dignum esse comprobas. Ita simul excitas spem fore, ut laudum TUARUM in dies fiant accessiones, & opera TUA, quam aliis praestabis, illis maxime sit salutaris. Quod ut eveniat DEUM precor; me vero ut amare pergas summopere TE rogo. Scr. Gott. d. 22. April. 1757.



Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

VERSIONIS IN EXTRAHENDO PARTU PRAESTANTIA ET ADMINICULIS.

§. I.

Naturalis partus molimina, quamquam ingrati quid, dolorifici & acerbi simul afferant, quod pro corporum mira diversitate & conditione, modo levius, modo durius parturientes percipiunt; attamen valdopere tempus, in quo parturiendi adpropinquare videtur labor, non timendum, nec opus est singularum horarum angi expectatione. Dicti hujus veritatem adprime omnes comprobabunt, qui quam facillime partus absolvatur interdum naturalis, cogitant. Si circumspecte porro animum ad antecedentium annorum seriem referunt, si nostra nunc memoria parturientium myriades, felicissime partum fundentes vident, facile animadvertunt, raro istiusmodi casus contingere, qui justam formidinem gravidis incutere possunt, utplurimum vero absque adminiculo quodam adhibito prodire fœtum. Vix tamen est mulier utero gerens, quæ timore non levi afficiatur dum partus instat. Injustum vero mœrorem, præter naturalis partus benignitatem, arguunt tutiora nostri ævi auxilia, quæ eas & in casu ancipiti a vitæ periculo arcent, ut non levem salutis suæ spem, in præsidiis laudatæ artis possint collocare. Partus

itaque naturalis per ſe conſiderati facilitas, partus difficilis optima adminicula, eorum refellunt ſententiam, qui omnes ſigillatim, quæ in pariendo laborant mulieres, incertum vitæ ſubire periculum affirmant. Conſtat quidem parturientem, aut propria culpa, aut per inhumanam negligentiam illarum mulierculalarum, medicas quæ afferunt manus, in naturali etiam, partu, vitam cum morte nonnunquam commutare: minime tamen æquum eſt, parturientes mortis periculo generatim terrere; injuſtusque cenſendus eſt arbiter, qui ſapientiſſimum NUMEN, de conſervatione generis humani adeo ſollicitum, vitæ & incolumitati, tam in utero gerentium, quam parientium, non æque attente proſpexiſſe affirmat.

§. II.

Facili autem negotio naturalem partum absque matris aut prolis periculo ad exitum perduci poſſe, probant innumera ruricolarum mulierculalarum, quæ ſub ipſis duriſſimis ruſticanis laboribus fœtum quam feliciſſime edidere, partuque abſoluto ſtatim ad opera ſueta redierunt, exempla (a). Feminas vero delicatioris ſortis difficilius quandoque parere, naturalis partus facilitatem non infringit, ſed ſenſibiliori corpori & vitæ regimini debetur. Terrent vero gravidas delicatiores & otioſas, ſyrmata calamitatum, narrata ab aliis, quæ difficili partu laborarunt, quæ ipſa dein remediis anilibus dum præ-

(a) *Strenuus mulierculalarum ruricolarum labor a quo nec fœtu in lucem edito abſtinent, cauſa fortaſſis uteri prolapſus eſt, quo harum plurimæ laborant; indeque eſt quod Cl.* MITTELHAEUSERUS *Practiſch. Abhand. vom Accouchiren Caſ. IX. annot. I. affirmat: inter decem mulieres agricolarum vix unam eſſe non valetudinariam. Hoc vero uteri vitium non ex ipſo partus negotio originem traxit, ſed ex neglecta genitalium partium cura a partu.*

præcavere ſtudent, potius accerſunt, laudatumque naturæ ordinem invertunt, cujus commatis remedia ſunt pellentia, injuſto maxime tempore & copioſe nimis ingurgitata. Ruricolarum feminarum exemplis jungere porro convenit caſtra ſequentium hiſtorias, quæ laboribus licet occupatæ, ambulationibus & itineribus defatigatæ, non minus tamen feliciter pariunt. De feminis Indis auctores pariter recenſent, eas quam faciIlime partum fundere, ſtatimque a partu propriis manibus lotas, negotia ſua rurſus tractare. Quid, quæſo, iſta per univerſas gentes, naturali modo viventes, obſervatione naturalis partus facilitatem luculentius probare poterit? Quodſi itaque noſtro ſub cœlo quæ vitam degunt, inanem timorem propellerent, vitam ſedentariam vitarent, & a depravatis quibusdam conſuetudinibus abſtinerent; minor procul dubio difficilium partuum eſſet numerus.

§. III.

Non penitus abs re erit, paulo ulterius injuſti timoris, quo parturientium mentes premuntur, originem explicare. Omni procul dubio initium & incrementa iſte timor e titubantia & incertitudine veterum in arte obſtetricia cepit. Quum enim, uti alii morbi, ita & parturientium difficilis interdum conditio incideret, medici de ope ferenda parturientibus cogitarent; a regia deducebantur via, mulierculaxum obſtetricantium inſcitia & fraude potiſſimum decepti. Edentula anus, cui & olim, & noſtra memoria adhuc plerisque in regionibus opus incumbit parturientibus auxilium ferendi, pro captu & nugarum amore ea retulit, quæ ſibi congrua ſatis videbantur, virique, in obſervando cæterum quam maxime attenti & acutiſſimi, relatis fidem habebant (*a*). Inde certe eſt, cur majores in arte obſtetri-

(*a*) *Bene monet* SEPTALIUS *Labyrinth. Lib. IX.* §. *211-212. non temere eſſe credendum obſtetricibus, etiam jure jurando aſſerentibus.*

ſtetricia non fecerint progreſſus fieri, qui acumine judicii & obſervationis, & olim fuerunt, & nunc celeberrimi manebunt. Ipſis vero his viris, ob mulierculàrum verecundiam, raro manum adhibere licuit ſalutarem, iſtudque tentare, quod multi poſtea felici cum ſucceſſu experti tentavere. Ea propter ſitum infantis obliquum, ſitum transverſalem, aliosque poſitus fœtus, vario modo torti, quam maxime timentes, unicam ſalutis ſpem in ſectione infantilis corporis ponebant.

§. IV.

Antiqua ceterum tempora, duas in claſſes erunt dividenda, ſi accurrate perſpicere cupimus, quid veteres auxilii & adminiculi in partu difficili habuerint: Hippocratica tempora plurima de ſectione præcipiunt, operatione iſta cruenta & infelici, niſi maxima adhibita cautione tractetur: nam excepto verſionis ſtudio in caput, quod HIPPOCRATES jubet, quodque æque ingratum ac inutile eſt, nihil in libris ejus, quod huc referendum ſit, iuvenimus. Integer liber Hippocraticus: *de exſectione fœtus ex utero.* (*a*) Satis ſuperque probat

(*a*) *Vid. oper. Hippocratis ex editione* FOESII *ſect. VI. p. 193. Cujus in libri fronte inſcriptio ea eſt:* περὶ ἐγκατατομῆς ἐμβρύε : *quæ ſecundum* FOESII *traanslationem ſic intelligitur : de fœtus, in utero mortui, exſectione, quamvis, vi vocum, in inſcriptione græca ſic ſe non habeat. Notat* FOESIUS *præterea Annot. 1. ad hunc librum, per* Ἐμβρυτομίαν *in ſcriptis Hippocraticis, ſemper intelligi ſectionem mortui fœtus, idque ex libro* περὶ ἐπικυήσιος *& lib. I.* περὶ γυναικείων *probare conatur. Verum enimvero, inveniet quam facillime iſte, qui citati de exſectione fœtus libri initium legit, ſermonem ibi tantum eſſe de fœtibus qui non convenienter*

probat, quantum hujus operationis trifti auxilio tribuerint, aliaque passim loca, quae in libro de mulierum morbis primo occurrunt, idem adfirmant. Praeceptorem in arte obstetrica Hippocraticorum incertitudinem locus alius in libro περὶ ἐπικυήσιος probat (*a*) sic secundum FOESII explicationem se habens: *cum vitali edito foetu manus prominet, ea retro impellenda, quoad supra repuleris, & si ambae promineant, ambas retrudito. Quodsi crus prominet, hoc quoque retropellendum.* Non multum autem huic artificio fidendum esse, patet ex scriptis & assertis peritissimorum in arte virorum, qui uno ore fatentur, nec opem ferre hunc laborem, nec fieri commode posse. Relabi enim prolapsam manum non posse, ex loci angustia

nienter in utero gestantur. Quodsi itaque libri hujus & inscriptionem & initium comparamus, dubii manemus, utrum solum foetum mortuum, an vero vivum etiam, qui transversim situs, in caput reponi nequit, secandum praecipiat HIPPOCRATES. *Recte pariter Ven.* HEISTERUS *animadvertit: Chirurg. Maj. Part. II. Sect. V. cap. CLII. veteres de foetu mortuo quidem educendo agere & praecepta dare; verum de foetu vivo male disposito, extrahendo aut vertendo, nihil fere docere. Quum vero* HIPPOCRATES *in citato de Exsection. foet. libro signum mortui foetus, licet fallax, his verbis adducat: Si vero parturienti mulieri transversus foetus ceciderit: - - - - manus ut plurimum foras emittit; quod quidem jam mortui foetus signum: suspicari nobis licet, Medicorum Principem tantum de exsectione mortui foetus cogitasse: quamquam non negandum, cum ex dubio signo infantis mortem concluderent, veteres vivos multos secuisse infantes, aliis encheiresibus servandos, si iis innotuissent.*

(*a*) *cit. Edit. Sect. III. p. 42.*

ſtia ultro conſtat. Etſi etiam fingere vellemus, laxiorem forſan matricem, infantiles artus recipere, quid quæſo inde commodi, aut emolumenti, in partum redundaret?

§. V.

Alterum artis obſtetriciæ inter veteres ſpatium ARETAEUM, AETIUM & CELSUM comprehendit, qui multa ſparſim bona præcepta habent; ſiquidem omnes ferme a CELSI tempore partum illum, pedibus prævium, naturalem vocant. Sunt vero hæc notatu digna CELSI verba (a) *in pedes quoque conuerſus infans non difficulter extrahitur, namque his adprehenſis, per ipſas manus commode educitur.* Poſt tempora itaque Celſiana adminiculum illud quaſi in crepuſculis adparavit mox laudandum. Etenim ſummopere adhuc delectabantur medicamentorum pellentium noxia virtute, ceu paſſim ex ORIBASII (b) ACTUARII (c) & NIC. MYREPSI (d) ſcriptis conſtat, horum medicaminum deſcriptionem hinc inde tradentibus. Moram in adhibendis pellentibus, ut anteceſſores, trahentes, eum uteri ſtatum facere ſolebant, qui nullam, quam ſectionis & ferramentorum opem admittebat. Ita ferramentorum terrores per hæc ipſa tempora ad noſtra transmigrarunt, præcipue cum multi adhuc ſint viri, auctoritate veterum freti, qui mortifera, quaque occaſione obveniente, in uſum vocant inſtrumenta, circumſpecte ſatis non penſitantes, utrum vivus adhuc ſuperſtes ſit fœtus, utrum matris vires

(a) *Cf. Lib. 7. de medic. cap. 29.*

(b) *Vid. Lib. de virtute ſimplicium.*

(c) *de method. medend. Lib. V. cap. VI.*

(d) *de antidot. Sect. I.*

res, triste istud auxilium permittant; an vero sola manu cuncta componi possint? Retropulsionem fœtus, quam antiquiores fere omnes commendant, sæpius repetunt; matri licet dolores creet, artus infantiles facillime e situ naturali moveat, post partum interdum non restituendo, nihilque penitus auxilii ea feratur. Sic vero præcipit ARETAEUS: *in sublime retrudendum quidquid præter naturam accidit.* (*a*) Quæ dein retropulsio pro suo more, cum operarores falleret, præter ferri electionem nihil supererat; ferri autem non magis inutilis, quam noxii, lacerantis quippe fœtum extrahendum, lædentis scindentisque cum certa morte matrem, puerulo antea jam extincto.

§. VI.

Periculosissima profecto, omnis si spes in sectione esset ponenda, parturientium fieret conditio, neque adminicula haud levioris momenti, multoque tutiora, earum meticulosas mentes reficerent; adminicula matris læsionem & fœtus lacerationem pariter præcaventia. Ii tamen non sumus, ceu in filo hujus scripti ulterius intelligetur, qui triste hoc auxilii genus, penitus rejiciendum ducimus, sed asserimus modo, sectione utplurimum operatorem posse supersedere. In promptu catalogus ferme esset, illorum partuum, qui neque sectiones neque lacerationes infantum postulavere, quod variis ex recensionibus observationum adpareret, quarum infaustus calamitosusque fuit exitus. Nummam vero liceret, has absque offensione quadam, recensere historias? Matrix ipsa, quæ, quam facillime inflammationis ex partu difficili recipit notas, quæque ex stasi sanguinis

(*a*) *Cf. Lib. II. cap. 76. de curationibus diuturn. ex ed. Henisch.*

ſanguinis congelati, vel ex ipſius infantis putredine, effuſis liquoribus, corumpitur, pxæcipue ſi per plures duraverunt partus molimina dies, immotusque ſi hæſit infans parte quadam inique ſita, verſus pubis præcipue oſſa uterum premit, his ſic ſe habentibus ipſa matrix periculoſiſſime lædi ſolet. Nam ſi tetigerit modo cultri falcati cuſpis uteri ſubſtantiam, quod & maxima adhibita cautione, inſcio operatore, interdum fieri poteſt, quænam inde calamitates? quæ ſcenam ludunt, dum infans diu extractus fuerit, præcipue, ſi lochia non procedunt, novaque humorum corruptela, vulnus aut inſanabile reddit, aut ſecundum GALENUM: *difficile uteri ſectio conglutinatur.* (*a*) Ruptorum uterorum in partu obſervationes, fortaſſis nonnullas, uſui inſtrumentorum ſecantium & lacerantium debemus. (*b*) Iſtud certum & rationi conſentaneum, ſuſpectam rupti uteri eſſe hiſtoriam, ſi inſtrumenta adhibita fuere, lacerationi infantum dicata, niſi anatomica disquiſitio rem probet. Tot narrationes colli veſicæ urinariæ lacerati, cum inſequente incontinentia urinæ ſatis moleſta, ex incauta ferramentorum adplicatione, prolatam affirmant ſententiam. Varios huc ſpectantes caſus affert, alios inter multos MAURICEAU, (*c*) cujus obſervatio LXXXV. præterea recenſet: imprudentes temerariosque chirurgos interdum inſtrumentis uti, ne fabrefactis quidem ad extractionis opus, ſed primum, quod ad manus eſt arripere, inconſultoque adplicare. Quis dubitabit itaque, parturientium conditionem eſſe periculoſiſſimam, præcipue ſi a rudioribus & inconditis hominibus ruditer tractentur; qui, ſi plane manum de tabula detinerent, conſcientiæ conſulerent, a

(*a*) *de locis affectis Lib. VI. cap. V.*

(*b*) *Vid. La Motte Traité complet des Accouchem. obſ. 188.*

(*c*) *Obſervations ſur la groſſeſſe des Femmes Tom. II. obſ. 76. & 85.*

neque matrem ex ignorantia lædentes, neque infantem necantes.

§. VII.

Feliciora noſtra merito erunt pronuncianda tempora, veterum incertitudine in arte obſtetricia non obnubilata, cum veris gaudeant adminiculis, quibus partus difficilis, utplurimum felici cum eventu, ad umbilicum producitur: id modo notandum, agyrtarum manus abſint, auxiliumque in obſtaculis tollendis vir tantum ferat judicioſus & artis gnarus. Variæ nempe encheireſes, quæ ſecundum partus ſpeciem, & mutandæ & revocandæ erunt, dubios caſus leviori interdum opera ſolvunt, quam pro veterum placitis, fieri poterat. Clariſſimorum ſi evolvimus hac in arte ſcriptorum libros, hoc effatum veritati eſſe conſentaneum, ſatis exinde conſtat. Oblique ſitus infans, aut plane transverſim compoſitus, miris tortus quandoque modis, & judicioſi conſilii, ex arena quaſi capti, ope, & peritæ manus ſtudio, e clauſtris; quibus incluſus tenetur, educitur. Longa horarum imo dierum ſpatia, quæ moleſtiſſimis ſub cruciamentis ſexus ſequior difficili in partu tranſigit, in brevius temporis intervallum contrahuntur. Ea ſymptomata, quæ ut plurimum partus ſequuntur, ubi ferrum ſecans adminiculum fuit, quæque a longinqua ſinus muliebris irritatione ortum cepere, hæc ibi, ubi manus ſalutifera ſolum tulit auxilium, parturientem haud reddunt miſeram; pariterque ea & incolumem & ſalvum ſervunt infantem.

§. VIII.

Iſtud vero adminiculum parturientium, quod tanti habemus, ea eſt a GUILLEMEAU (*a*) & PAREO (*b*) primum celebrata verſio.

Illa

(*a*) *Charl. Guillemeau de la groſſeſſe & accouchement des femmes. Paris 1621.*

(*b*) *Ambroſ. Parei opp. Chirurg. L. XXIII.*

Illa non inique, Iuno Luciana vocanda, quum multo præſtantius dicta verſio auxilium ferat, quam fictitia gentium Dea, quam iterata vice paſſis manibus implorabant veterum mulierculae, doloribus partus correptæ. Millenis hoc verſionis ſtudium in utero gerentibus ſalutare fuit, totidemque dedit infantibus vitam. Iſto itaque in adjumento non absque cauſa clariſſimi viri, dudum ſpem poſuere haud fallacem, uti VIARDEL, MAURICEAU, qui utut inſtrumenta in uſum vocavere, verſionem tamen multo ſtudio exercuere; porro LA MOTTE, IACOBUS DENYSIUS, von HOORN, aliique magni nominis Viri, ut & ex celebrioribus obſtetricibus IUSTINA SIGMUNDIN; noſtraque nunc memoria boni expectationem in ea collacamus pariter haud leviorem. Ni enim omnia in pejus ruont, partim ex vitio corpori matris inſito, quod & interdum ab hoc negotio vincitur, partim ex labe & conditione fœtus, nemo ſane in dubium præſentaneam hujus adminiculi vim vocabit, quidquid etiam obgannient ſectionum lacerationumque in utero materno patroni. Duriora quipem & cruenta, infauſtos poſtulare quosdam caſus, certum eſt; hæc vero neutiquam verſionis minuunt laudem. Quot enim in ſcriptis optimorum auctorum proſtant obſervationes de peracta, feliciſſimo cum eventu verſione, tot hujus præſtantiſſimi auxilii præclara adſunt teſtimonia, quæ nec ad uſum melius, nec jucundius mulierum, difficili partu laborantium, levamen, excogitari poſſe, oſtendunt. Quodſi inſuper attendo oculo, obſervationes de ſectione in utero editas, perluſtramus, uno obtuto apparebit, eas plurimum infelices habuiſſe exitus; dumque juſto modo computum inſtituimus, inter verſionum hiſtorias & exſectionum narrationes, feliciores caſus in illis, triſtiores in his numero prævalere. Primarium itaque in partu difficili verſionem infantis in utero materno eſſe auxilium, nemo negabit.

§. IX.

Quid, quodſi eam medicinæ partem, quæ manu medetur, contemplamur, facile adparet, nullam ferme eam comprehendere operationem,

operationem, quæ feliciorem habeat exitum, quam ea, quæ ſub verſionis dominatione intelligitur. Tumoribus in ſanandis, ulceribus, fracturis, iisque ſigillatim in vitiis, quæ membrum quoddam corporis tantum occupant, varii labores, iterata medicaminum adplicatio, longaque temporis dimenſio, pro reſtauranda integra valetudine requiruntur. Leviuscula modo vulnera, & ſanationis pariter juſtum tempus poſtulant, prætereaque notas quaſi inurunt non delendas. Verſionis vero negotium & brevi temporis ſpatio conficitur, & parturientes ab omni læſionis periculo liberat. Neque chirurgus celerius auxilium ullo in caſu poteſt exſpectare, neque cum majori ſublevatione manus adhibere medicas. Ipſe Cl. MITTELHAEUSERUS, qui multas de ſectionibus in utero materno obſervationes profert, ſtatim in præfatione libri jam ſupra citati faſſus eſt: *Verſionem facili cum negocio fieri*, quod & aliis in locis adfirmat. (*a*)

§. X.

Licet vero verſionis præſtantia in aprico ſit, ambabus tamen multi hodie ſectionem in utero arripiunt. Lacerant, ſecant, fruſtulatim educunt ſemivivorum infantum tenella corpuſcula, neque ſiniſtrum eventum, neque ſiniſtrum eventum, neque conſcientiam curant. Pariter ex his conſtat, eos haud judicioſe ſatis penſitare, an vitæ matris ſervandæ cauſa hæc operatio ſit neceſſaria, an aliquid a natura, dirigente medico, ſit exſpectandum. Omnino enim tempus erit ducendum, ob dubia mortui fœtus ſigna, niſi matris vita ſtet in ambiguo, ſiquidem partus expulſio, præter ſpem & opinionem, levi interdum ſublato impedimento, contingit; quod ex iis luculenter adparet obſervationibus, ubi ſanguinis copia miſſione diminuta; aut injectum fuerit clysma; quibus adhibitis retardatus per- ſæpe

(*a*) *Practiſche Abhandl. vom Acouch. Caſ. IX. annot. 2.*

ſæpe in lucem prodiit partus. Quid quod magis dolendum adhuc, imperitos viros, hoc ſectionis in ſe ſuſcipere negotium. Mere ſic dicti Chirurgi & Barbitonſores, in anatomicis ſtudiis parum verſati, aut ſemidocti, agreſti manu, neglectis omnibus, quæ huc ſpectant, ad lacerationem tenellorum ſeſe accingunt, fortaſſis ea ex cauſa, ne nihil egiſſe videantur. LA MOTTE non injuſte & in chirurgos *&* in obſtetrices ea propter invehit, ad ferramenta ſtatim confugientes, ipſeque probat multas ſe noſſe feminas incontinentia urinæ labotantes, laceratasque, quin & neei datas, ex imprudenti uſu inſtrumentorum, prædicatque felices mulieres, quæ ipſis ſub laboribus animam efflant, dum crudeliter ab his homunculis fuere lanitate, illarumque dolet vicem, quæ hac ex cauſa per vitæ reliquias diſtractum alunt corpus. (*a*) Immanis ea ex parte matris dilaniandæ cupido, crudelis pariter ex parte infantis; animos ferit. Sectio in nihilum quaſi iſtud redigit, quod per multum temporis ſpatium natura formavit, quod nutrivit quodque ſolertiſſime eduxit. Mens homicidii pœnas ſimul volvens horret. Ne vero nimius ſim, prætermittam, quid damni inferant iſti laniones provinciis & regionibus, multos deſtruentes infantes, cives olim perutiles, fœcundasque matres. AETIUS multa qui ex veterum ſententia, de ſectione fœtus in utero materno profert, bene tamen jubet: *ad chirurgiam non temere eſſe progrediendum* (*b*) quo cum conſilio jam indigitari cupit, mortui infantis ſigna fallacia poſtulare, ut circumſpecte medicus adtendat, num fortaſſis mitiora adhuc opem ferant, num vero ſectio ſit neceſſaria. Unam eandemque alit SEPTALIUS ſententiam cujus notatu digniſſima verba hic adponere e re erit: *ſi unquam in ſimilibus caſibus* (ſermo ei eſt de fœtu mortuo extrahendo) *oculi aperiendi . . . cum ſæpenumero multas viderimus a quibus fœtum*

tanquam

(*a*) *Traité complet des accouchem. Obſ. CLXXXVIII. Reflex.*

(*b*) *Tetrab. IV. Serm. IV. cap. XXII.*

tanquam mortuum, aut excludendum, aut quod pejus est ferramentis extrahendum esse, censebant obstetrices; quæ non jam multo post, vivum & bene valentem fœtum pepererunt. (*a*) Horum virorum normæ instar habendum judicium ab omnibus erit laudandum, qui obstetriciam exercent artem. Quidni porro ab indefessa & constanti manu operatoris, secandi cupiditate haud nimis ardente, erit sperandum. Hujusmodi indolis casum, ubi assiduus tandem labor vicit, recenset memorabilem HILDANUS Cent. VI. observat. 64. Elegantissimam pariter historiam, ubi post iteratum studium, adhibita Venæ sectione & clysmate, licet non statim opem tulere; fœtum in lucem protraxit, narrat LA MOTTE; indefessa enim hujus Viri constantia infantem difficili partu retentum tandem felicissime eduxit, (*b*) quem alius forsan, sectione festinanter instituta necasset.

§. XI.

Quoniam autem multi adhuc laudatum versionis adminiculum parvi habent, convenit procul dubio, paulo ulterius, infantum, partu difficili in utero hærentium, statum pensitare, quidque expectandum a versione, ostendere. Iis enim sub limitibus, jamjam allatis & ulterius adducandis probabimus, versionem plurimorum difficilium & præternaturalium partuum tutissimum, præstantissimumque esse auxilium. Raro forceps adminiculum, quam rarissime vero secantia atque lacerantia instrumenta, quæ frustulatim infantes educunt, erunt adhibenda. Quo facilior vero versionis suscipiatur modus, adminicula nonnulla huc spectantia erunt ponderanda a Claris Viris laudata. Neque tamen omnes encheireses afferri possunt, quibus tam diverse composita infantum extrahuntur corpuscula

(*a*) *Labyrinth. Med. Lib. IX. §. 212.*
(*b*) *Cit. Lib. Obs. CCIII.*

puſcula, quum ſecundum HILDANI effatum, (*a*) ſemper aliquid novi, ſive circa diſpoſitionem uteri, partiumque genitalium, ſive parturientis ſeſe offerat, ſimulque laudatus Vir eodem in loco aſſerit, inter tot operationes, quas adminiſtravit, nondum duas, quæ ſibi invicem ex omnibus reſponderent, ei occurriſſe. Reliqua itaque præſenti in re ab operatoris judicio erunt exſpectanda artificia. Si vero quis cogitet, nimium laudare hanc paginam verſionis encheureſes, ille capiat Terentianum illud. (*b*)

Si illum objurges vitæ qui auxilium tulit,
Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?

§ XII.

Eam vero manualem operationem per verſionis vocem intelligimus, quæ fœtum, in utero præter naturam ſic compoſitum, ut naturæ conaminibus expelli non poſſit, pedibus prehenſis & adductis, e cancellis, quibus incluſus tenetur, ducit. Iam concinnam ſatis verſionis definitionem habere videtur CELSUS, ſi ſequentia verba hujus viri de verſione explicemus; omnem tamen verſionis doctrinam CELSO vix nobis licet perſpectam tribuere, quoniam eam inter adminicula mortui extrahendi fœtus collocavit, de vivo fœtu ſervando nihil proferens. Sunt vero CELSI verba: *infantem manu dirigit medicus, vel in caput, vel in pedes, ſi forte aliter compoſitus eſt* (*c*). Hæc quæ de verſione explicanda apprime valerent, verſionis juſtam conſtituerent definitionem, ſi, præter ſupra allatam ratio-

(*a*) *Cf. Obſerv. Cent. VI. obſ. 64.*

(*b*) *V. Terent. in Andria act. I, S. I.*

(*c*) *Lib. de Medic. 7. l. cit.*

rationem, non accederet, veterum pergrata converſio infantis in caput, quam nec laudare, nec tentandam eſſe ſuadere poſſumus. Eſt ſane verſio directio infantis inique ſiti in pedes.

§. XIII.

Verſionem vero operator abſolvit quam facillime, ſi neque nimis proſtrata fuerit laboribus parturiens, neque inani & fruſtranea ſpe obſtetrices per longinquum tempus matres aluerint; licet quandoque ſolutio non cruenta infantis, præterlapſis jam octo diebus a partus initio fiat: (*a*) porro ſi aquæ nondum omnes ad facilitandum fœtus exitum fuerint effuſæ, ſique inutilis corporis pars, nondum nimis & perdure ab oſſibus pelvis cincta teneatur, aut dolorum, haud interrupta ſerie urgentium, vis, omnem aditum medicæ manui ad uterum intercludat, utque paucis multa comprehendam, ſuſcipiatur, ſecundum quam maxime ROEDERERI effatum (*b*), *quantocius fieri poteſt hæc operatio, ipſoque eo momento, quo velamenta rumpuntur, ſi quidem præſens fuerit medicus.* Recenti itaque re protinus adhibenda eſt medicina, quod Celſianum de extractione mortui fœtus dictum & hic valet. Quum vero ex verecundia, quæ omnium quidem virtutum cuſtos, nec ſatis alias laudanda, ſexus ſequior, medici operam ſæpe reformidat, praetereaque anilibus muliercularum obſtetricantium fabulis fidem habet, quæ ſemper affirmant, eo usque, dum cuncta aperte periculoſa apparent, naturali modo fœtum prodire, itaque ſalutiferam manum recuſat & abnuit: quæſtio haud injuſta movetur, quid adhuc a verſionis tentaminibus ſit exſpectandum, ſi cuncta in ambiguo eſſe videntur. Multæ obſervationes artis obſtetriciæ ſcriptorum probant, eam magna & inexſpectata in re

(*a*) *Cf. Obſ. Hildan. l. c.*

(*b*) *V.* AVCTORIS *Element. art. obſt. §. 584.*

re ſatis dubia ſæpius omnino præſtare. Certum ſane & evictum eſt, omnibus in difficilioribus partubus, quocunque etiam tempore artis gnarus in auxilium vocetur, primum tamen ei eſſe de verſione cogitandum, nec illotis plane manibus ad ferramenta confugiendum: non enim deſunt qui & in maxime ambiguis parturitionibus haud infelices adhibuere manus.

§. XIV.

Varias induit ſpecies caput obliquum & inique ſitum, partus difficilis cauſa. Modo enim facies ad alterutram coxam reſpicit, modo verſa ad pubis oſſa facies mento iis inhæret, modo occipitis partem nimis incurvatam coxigis os remoratur, modo dextra vel ſiniſtra explorantis digito obvenit auris. Iſtis quidem in caſibus, ad veterum fere mentem, in caput compoſitio præ reliquis artificiis tentari poteſt, eoque lubentius, quo certiora recentiorum ad iſtum ſcopum adimplendum ſunt inventa. Ita vectis interdum ope, in naturalem redigendum erit ſitum, ſi iterata exploratione, quocunque vorſum ſit, innotuit. Nitidiſſimam ſane, vectis ope in naturalem ſitum compoſiti infantis, obſervationem, ex propriis animadverſionibus PRAECEPTOR recenſet (*a*). Alias quoque, ſi uterinum orificium digitum admittat, hujus ope vectis induens figuram, repoſitio in naturalem ſtatum fieri poterit. Non infrequenter forceps obſtaculo tollendo apta eſt. (*b*) Quæ vero cuncta ſi fieri nequeunt, verſio ut plurimum omne punctum fert. Quum enim, uti jam expoſui, non ubicunque licet in naturalem poſitum caput redigere, ſiquidem

(*a*) *V.* ROEDERER *de Part. Laborioſ. Caſ. XII.*

(*b*) *de qua Encheireſi præcipue cf.* SMELLIE *Tr. on the theory and practiſe of Midwifery. Lond.* 1752.

quidem quam facillime aberramus, & fruſtranea ſpe decipimur, pedum utique prehenſio præſtantiſſimum affert auxilium. Nec convenit ultra modum, vectis ope, adiumentum num ferendum ſit, tentare, quum urgens dolorum vis, quæ & ipſo ſub opere iterata irritatione partium fit, ancipiti fortuna caput fortius in pelvim comprimit. Pariter medela affertur, facie vario modo primum in conſpectum veniente, verſione (*a*). Neque ſemper hydrocephalus, partus ſpecies, quæ ab omnibus ferme ſectionum fautoribus, ferramentis ejicitur, cruentum auxilium poſtulat. Egregiam obſervationem hydrocephali verſione educti LA MOTTE (*b*) recenſet, & ſi pari cum ſtudio, quale adhibuit Vir laudatus hydrocephalus ſemper tractaretur, multum inde fortaſſis commodi exſpectandum eſſet. Num vero & inciſio per externum hydrocephali tumorem hujus generis partum interdum facilem redderet, quæ absque infantis læſione fieri poſſet mortifera, præcipue ſi tumeſcentia extra adpareat: hoc ab obſervationibus quibusdam vel rejiciendum erit, vel erit affirmandum. Præceptum itaque AETII de mortuo fœtu extrahendo datum: *Si caput fœtus locum obſtruxerit, ita ut prodire nequeat infans, in pedes vertatur atque educatur,* (*c*) omnino nobis, de vivo ſervando fœtu cogitantibus, valet.

§. XV.

Ex partu præcedenti paragrapho deſcripto oritur alia ut plurimum ſpecies difficilis poſitus infantis, ſi vel manus, vel cubitus, vel totum brachium in conſpectum extra ſinum muliebrem venit. Quum

(*a*) *V.* ROEDERERI *Elem. art. obſt. §. 505. ſeqq.*

(*b*) *V. Traité compl. des accouch. Obſerv. 334.*

(*c*) *Tetrabib. IV. Serm. IV. cap. XXIII.*

Quum enim oblique capite descendit, pro conditione istius situs totum corpus transversim adparet, tuncque vel simul cum effuso liquore, fœtum ambiente, vel postea quoque, manus vel brachium prodit, isque status eo difficilius sanatur, quo diutius jam in partu edendo laboravit mulier. Prodit autem manus aut simul cum capite, parum eo flexo a naturæ tramite, aut sola, quum totum infantile corpus transversaliter compositum exitum molitur. Pro conditione vero dolorum eminet, & ab his quandoque tam fortiter expellitur, ut difficillimum partum quodammodo constituat. Si movendum adhuc brachium, nec nimis incuneatum, & obstetrices & medici nonnunquam reponunt, quidquid prolapsum fuit. Inanis vero omnis retropulsionis spes erit, ni simul pedum investigare licet situm, iisque adprehensis, quasi aliud agendo, reponas brachium simul sub ipsa versione. (*a*) Incompte satis MAURICEAUVIUM stringit LA MOTTE quod tanti fecerit brachii prolapsi reductionem, ostenditque ex ipsa MAURICEAVII observatione CCXIV. brachium propendens solum reponere inutile esse conamen, quod insuper propriis observationibus comprobat LA MOTTE (*b*). Verum sane hoc esse, quisque parum etiam artis obstetriciæ gnarus facillime animadvertit, qui dolorum urgentium vim & immotum corpusculi infantilis statum permansisse, solius brachii reductione in naturalem situm non vocandum, paululum voluit. Quid? quod si ex diuturnitate temporis partus, jam inflatum fuerit, rubeat, livescat, nigrescat, quis adhucdum potis erit reducere & in naturalem positum reprimere, quod dolorum vis extra matricem & sinum eduxit. Nonnulli hanc repositionis difficultatem animadvertentes, pro veterum sententia, exinde resecandum statim esse extra quod prominet, existimavere, præcipue si cum HIPPOCRATE sibi persuadeant, brachium

(*a*) *Cf.* ROEDERER *de Partu laborioso Cas. III. Epicris.*

(*b*) *Lib. cit. Obs. 264. & aliis.*

um prolapſum, mortui fœtus eſſe ſignum (*a*), quod experientia multis obſervationibus probata rejicit. Tutiſſimum itaque erit, non ſtatim de morte infantis cogitare, qui diu ſatis vivus perſiſtit, ab utero materno retentus. Cum itaque hic nihil repreſſionis ſtudium valeat, cuncta a divino verſionis adminiculo ſperanda, cujus ope hujus generis partus abſolvitur. Faceſſit quidem iterata opera, prolapſum brachium operatorem, ſi præterea ſpasmodice contractum uterinum orificium, humerum arcte cingat, nec medici manum admittit: aut ſi admittat, eam ſic comprimit, ut vix ferat medicus, deſiſtere & ab incepto opere quandoque debeat, attamen indefeſſus labor pedibus prehenſis tandem feliciſſime eduxit infantem (*b*). Neutiquam itaque in eorum tranſire ſententiam convenit, qui, mitiora feſtinanter ſpernentes, duriora celeri pede perſequuntur. Caveant ii, qui nimis proni ad dislocationes diſtorſionesque brachiorum difficili in partu propendentium ſunt, ne iis accidat, quod Cl. MITTELHAEUSERUS refert: nempe ſe vidiſſe ambobus deciſis brachiis, infantem extractatum per duas adhuc horas vitam duxiſſe (*c*). Triſte profecto ſpectaculum, quod & ipſi Cl. MITTELHAEUSERO contigiſſe, palam eſt (*d*). Memorabile recenſet exemplum CHAPMAN, infantis, qui, licet chirurgi imperiti ſectione in partu braccium amiſiſſet, virilem ætatem ſanus; cum altero brachio aſſequutus eſt (*e*). Omnes itaque nervos intendere debere operator, ut verſione infantem educat, fugiatque ſecantia, dum matris vita vel certocertius non ſtet

(*a*) *Cf. Hippocratic. loc. ſupra adduct.*

(*b*) *Traité complet des accouch. Obſ.* 271. MAURICEAU *obſ. ſur la groſſ. Tom. II. Obſ. XVIII. CXXVII.*

(*c*) *V. Practiſch. Abh. vom Accouch. p.* 413.

(*d*) *Cf. Lib. cit. Caſ. XVII.*

(*e*) *Treatiſe of Midwifery. p.* 49.

ſtet in ambiguo, vel pariter de infantis morte nullum dubium adſit. Medela vero una eademque erit, ſive infans dextrum ſive ſiniſtrum brachium projecerit: hic adhuc tamen notandum, pluries brachium dextrum in conſpectum venire, non æque multoties apparere per uteri orificium brachium ſiniſtrum (*a*).

§. XVI.

Aliam difficilis partus ſpeciem format partus plane transverſim compoſitus, ita quidem ut vel venter vel dorſum, vel hypochondria orificium uterinum claudant. Transverſum infantis ſitum HIPPOCRATES difficillimum judicat eſſe, idque exemplo quodam illuſtrat, his verbis: *ſi transverſus exeat fœtus, gravis evadit affectio. Non ſecus ac ſi quis in ampullam olearíam anguſti oris, olivæ nucleum inmittat, qui transverſus non facile educitur, eodem plane modo etiam mulieri, gravis eſt affectio ubi fœtus transverſus deſcendit*

(*a*) *cauſa fortaſſis eſt, quam jam Cel.* HUBERUS *de utero ad dextrum latus inclinante adtulit, in diſſertat. de vaginæ uteri ſtructura rugoſa p. 17. Exiſtimat nempe laudatus Vir per fœcum alvinarum & inteſtini recti in uterum violentiam hunc pelli potiſſimum ad dextrum latus. Itaque ſi ſedentem in utero materno infantem in animo concipias, (V. Ill. Præcept.* HALLERI *Prælect. Phyſiolog. Tom. V. P. II. p. 384.) dextrum infantis brachium dextro matris lateri reſpondet, ſique uterus verſus dextrum latus jam hæreat obliquus, quam facillime infans dummodo circumvolutio fit, ita componitur, ut primum dextrum brachium uteri orificium tangat, & ſimul cum effuſione liquoris amnii prodeat, aut a doloribus magis magisque ut extra pendeat propellatur.*

dit (*a*). Verissimum sane hoc Hippocraticum dictum est, si a doloribus nimis fuerit compressus fœtus, & quod notandum, si dorsi spina os uteri claudat, quæ accurate satis internum orificium obturat, nec aditum commodum relinquit. Veterum vero aliud judicium, ab AETIO desumtum, Hippocraticam sententiam infringit, commodeque ostendit, non omnem spem extractionis vanam esse, si pedes prehendere possit operator; licet, quod non negandum, de mortuo fœtu solo AETIUS id judicet. *Qui obliqui prodeunt*, ait, *minus improbandi sunt, aut enim in alterutrum latus, aut in ventrem prodeunt, sed tutius est in latus progredi, ita enim obstetricis manui locus datur, ut in caput aut pedes nascentem dirigat* (*b*). Hicque ex veterum placitis locus nunquam satis esset laudandus, ni versio in caput sæpius jam rejecta AETIO arrideret, commode nempe & vivum fœtum transversim situm, operator in pedes dirigit. Varius vero positus transversus pueruli, varias pro obliquitatis gradu spondet encheireses, quæ omnes felicissime rem absolvunt, si pedes in propinquo sint (*c*).

§. XVII.

Flexis porro procumbens genibus infans, nec tutiori nec leviori modo educitur, quam, pedum adductionis ope. Ad hujus generis complicati fœtus statum varii modi referendi, qui interdum accidunt. Modo genibus ambobus apparet infans exitum ex utero materno tentans, modo pedem alterum simul cum genu offert, licet

cet

(*a*) HIPPOCRAT. *de morbis mulierum. Lib. I, S. V, p. 167. ex cit. edit.*

(*b*) *Tetrabit. IIII. Serm. IV. cap. XII.*

(*c*) *Cf.* ROEDERERI *El. art. Obs. §. 652. seq.*

cet raro; quo de situ tamen observationes apud MAURICEAUVIUM exstant (*a*). Nunc simul vel genua & manus & faciem, nunc pedem alterum, manum & faciem ostendit, de qua complicatione optimum exponit casum Ill. Præceptor, ubi & simul infantis extractionem præclare descripsit, facilique negotio absolvit (*b*). Cumque hujusmodi fœtus, secundum naturalem in utero situm, capite inter genua posito, reliquoque in globum contracto corpusculo, exire cupit, nec pedes alto in loco hæreant, cur complicatam hanc difficilis partus speciem, non eodem modo extrahere vellet operator, quo graviores ejiciuntur?

§. XVIII.

Duplicati partus species alia eademque difficilis est, si clunes primum orificium matricis tangunt. Haud raro hujusmodi infantis compositio & figura explorantis digitum decipit, præcipue si vesica, fœtum ambiens, nondum fuerit rupta, cum parum discriminis interdum, num caput naturaliter prodeat, num vero clunes sint præviæ, ita titubantiæ cujusdam fortassis caussa erit. Ill. HEISTERUS figuras inter naturales aliquo modo refert; quando clunes ori vulvæ sese opponunt (*c*). Vera CELEB. VIRI est sententia, si una, nec ab utero obliquo dislocatæ prodeant clunes. Omnino aliquo modo, si simul clunes exeant, hic inter naturales erit referendus partus, quia absque ulla ferme operatione absolvitur, dolorum juste urgentium compressione, atque directricis tantum manus ope. Si vero a recto tramite fœtus deflectat, ab utero obliquo in transversum

versum

(*a*) *Cf. Observ. sur la Grosf. Obs. CI. & CCCVIII.*

(*b*) *V. Cit. Lib. de Partu Laborioso Cas. III.*

(*c*) *Institut. Chir. P. II. Sect. V. cap. CLII. §. 6.*

versum situm paululum ductus, fit difficilior partus. Si nempe ambæ non una prodeant, vna natum ad orificium matricis compellatur, altera pelvi insidet, & neutiquam a naturæ moliminibus exspectandum, absque adminiculo ut prodeat infans (a). Sic, retardatus fœtus salutare manuum auxilium omnino postulat, quarum ope, non difficulter quandoque e cancellis puerulus protrahitur. Complicati partus, aut duplicati, apud veteres male audiebant, AETIO teste: *qui duplicati prodeunt*, ait, *in pessimam figuram illapsi sunt, maxime si in coxarum vertebras deferantur*, (b) & paulo post aperte vult, ut hujusmodi fœtus dissecetur. Quod vero hodierna experientia, tutioribus munita adminiculis, quæ a versione exspectantur, plane rejicit.

§. XIX.

Narratis his difficilioris partus speciebus, ita & in iis, quæ mutatam adhuc & diversam formam induunt, partim a propendente funiculo, & a parte quadam corporis prævia speciali, e. c. collo primum apparente, quarum parturitionum modi & figuræ ad supra recensitas erunt referendæ; omnibus hisce medelam affert præstantissimum versionis negotium, cujus præsidiis fulti, supra §. XIII. indicatis cautionibus non omnino neglectis, maximi in arte obstetricia Viri magnam laudem, immortaleque nomen sibi peperere. Sic MAURICEAUVIUS, sic LA MOTTE, sic DENYSIUS, DEVENTER & alii opem tulere, absque omni ferme ferramentorum secantium usu. Famam vero horum Virorum diminuere cupiunt, objiciendo difficiles maxime casus eos reticuisse, neque fassos esse, si periculosi quid iis

(a) *Cf.* ROEDERERI *El. art. Obs.* §. *627.* & *628.*

(b) *Tetrabib. loc. cit.*

iis accidisset. Ipsæ vero observationes, quas edidere, quodammodo rejiciunt hanc opinionem; nam invenimus eos non semper secantium repudiasse usum, si necessitas sectionem suadere potuerit, etenim raro capita infantum eos aperuisse constat eo potissimum vero tempore; quoties de morte prolis nullum erat dubium. Cæsareos partus recensent, aliaque, quæ ad medicinam secantem pertinent; in aprico ergo est, secuisse eos, sed de præstantia versionis persuasos, elegisse tutissima, pariter constat. Multum insuper auxilii versioni afferunt animi præsentia judiciosæque encheireses, quæ, cum laudatis supra viris propria fuere, non mirum, eos quam felicissime artem exercuisse, quam alii nonnunquam ex inscitia conspurcant. Miserum enim solamen, filiolum dilaceratum videre atque dissectum, & si quoque matrem servavit operator, attamen insitus erga gnatos amor, cruenti adminiculo nimis festinanter adhibito, iterum iterumque agit radices, durisque devovebit verbis infelicem manum, prolem necantem. Quumque medicus tantum dirigat, si fortassis natura deflectat, aut nimis prostratas facultates corporis erigat, aut quidquid noxium affuerit, eliminet, cur iis in casibus, in quibus a directricibus manibus multum sperandum, errantem aut vacillantem naturam non sublevare vellet medicus, sed in eam, stricto quasi gladio, irruere? Quo magis crudelis & immanis, incauta embryonis in utero sectio est, eo magis salutare versionis opus divinis cumulandum erit laudibus.

§. XX.

Ut vero feliciorem versio, impedita nonnunquam variis ab uteri symptomatibus spasmodicis, capiat exitum; erunt versionum laudanda varia adminicula: quorum alia a veteribus acumine judici præditis commendata fuere, alia viris in arte obstetricia claris ad nostraque secula referendis, originem debent. HIPPOCRATES & ex ejus sententia alii eum sequuti veterum, balnea difficulter parientibus levamen præbere referunt. Commendant veterum scholæ pariter in-

inunctiones, fomenta & emollientia, nec fine caufa. Eum vero in finem ea non recenfebimus, acfi iis adhibitis cuncta naturæ in difficili partu effent committenda, fed eum potiffimum in fcopum ut emolliendo agentia fpasmos folvant. Non enim unquam balneum, aut fomentatio aut aliud emolliens, rem ad umbilicum evolvet. Adprime vero & in ufum ea erunt trahenda, fi ob finus pudoris anguftiam, aut uterini orificii duritiem, fitum infantis dijudicare non poffumus & tempus ducere debemus. Adminicula alia funt dolorum fedatio, fafcia vel laqueus.

§. XXI.

Balnea multoties a Medicorum Principibus laudata emolliendo laxandoque haud leve adminiculum verfionis licet præbeant, non exiguus tamen Medicorum numerus ea plane tanquam inutilia rejicit. Eo tutius vero balnea erunt comendanda, quum ex magnorum virorum auctoritate in iis haud parum fpei fit, quumque & ratiociniis & experientia compertum emollientia & laxantia in partus molimínibus non effe temnenda. Nonne & iis quæ menftruis laborant, balneorum ufus emolliendo relaxandoque eft commendabilis? Satisque compertum, haud leve ita affecto fexui fequiori inde levamen effe? Cur analogice rem hanc tractantes, omnem balneorum in difficili partu ufum refpuere vellemus, quum fpaftica conftrictio partium optime hoc medicamine levetur? Præcipue vero balnea, fomentationes & inunctiones conveniunt, dum partu in difficili citius nimis effluxere aquæ, quarum effufio, humorumque in corpore parturientis exagitatio, ficcitate nimia pudoris finum offendit, inutiliaque operatoris conamina reddit, nifi laxitatem eam partium, in partu tam neceffariam reftituat. HIPPOCRATES jubet: *mulierem fedentem, in aquam calidam effe collocandam, donec perfundatur,* (a) Laudat

(a) *Cf. Lib. I. de morb. mulier. Sec. V. p. 183. ed. Foef.*

dat insuper decoctum fænigræci & malvæ ad perfundendum, aut potius ptisanæ triticeæ cremorem: fovendam porro esse sedem & pudendum ad inguina usque, insessusque parandi erunt, & tum vel maxime cum vehementes parturiendi dolores urgent. Quam pariter sententiam cum HIPPOCRATE, AETIUS (*a*) & AEGINATA (*b*) alunt. Quorum ultimus ad decoctum illud Hippocraticum adhuc illud ex Lini semine commendat, assidueque oleum calidum infundendum esse, suadet, insuperque cataplasmata ex emollientibus imponere jubet. Hic laxandi emolliendique scopus, eo vero magis laudari meretur, quo magis adhuc nostra nunc memoria magni nominis Viri eum commendant. In mentem venit, Venerandum Præceptorem Ill. Archiat. BRENDELIUM in Prælectionibus practicis haud parum in facilitando partu balneis tribuisse. Etsi a magno labore delassatis balnea conveniunt, cur & reficiendi causa, parturientibus calida ea levamen non præbere deberent. Quid quodsi balnea necessaria esse dicamus, dum partes siccitate premuntur. Naturalis quidem mucus aliis arte paratis præstat, attamen eo deficiente, arte restaurandum erit istud, natura quod denegat. Horum omnium quidem usum LA MOTTE rejicit (*c*) simulque veteres accusat, eos difficilem partum externis tribuisse causis; quæ vero invectiva in judiciosissimos istos viros neutiquam locum habet, quum HIPPOCRATES ea omnia in difficillimo transversim composito situ infantis commendat, quem difficilem partum ab externis pendere causis, quis cogitabit? Nec desunt qui fomentationum & emollientium ope partum difficilem faciliorem reddidere. HILDANUS pulcherrimum casum recenset, manu saluti difficilis partus, ubi non parum

(*a*) *Tetrab. IV. Serm. IV. cap. XXII.*

(*b*) *Cf. Lib. III. de re medica cap. 76.*

(*c*) *Trait. compl. des Accouchem. Obs. 238. Ref.*

rum utilitatis attulere laxantia & fomentationes, cum jam per octo dies laboravisset mulier. (*a*) Et fortassis duriorum laborum, qui omnem versionem respuunt, esset minor numerus, si justo tempore laudata adminicula adhibere posset medicus (*b*).

§. XXII.

Dolorum sedatio versionis maximum pariter est auxilium, quod omnes uno ore artis obstetriciæ gnari probant, ipsaque ratio hanc rem attentius volvens adfirmat. Si nempe spasmodica constrictio uteri, valide ipsum fœtum comprimens, ut & matricis oris durities, e spasmo interdum orta sedatur, flectere atque in pedes dirigere infantile corpusculum operator facile potest. (*c*) Constrictionem vero & duritiem uterini oris, medicamina antecedenti paragrapho laudata tollunt, externam superficiem emolliendo, nam quoad uterum alluere potest, fomentum laxat. Interni vero spasmi ab opiatis mitigantur, inter hypnotica præstantissimis. Quodsi itaque dolores nimis urgeant, versionemque impediant, opiata haud temnendum ad eos levandos, & hanc faciliorem reddendam, auxilium præbebunt. Impeditur vero, supra uti diximus, versio ab irritatione & constrictione uteri oris, ita, ut omni licet studio adhibito, medicus pedes

(*a*) *Cf. observat. 64. cent. VI.*

(*b*) *Hanc sententiam affirmat optimus Amicus, Vir Cl.* ZEIS *in dissert. de caussis necessario mortem, in partu inferentibus, p. 10.*

(*c*) *Cl.* MITTELHAEUSERUS *qui spei multum in sectionibus posuisse videtur: lib. citat. Cas. XI. & XX. ipse refert, versionem facillime fieri posse, quando dolores remittunt.*

pedes non adtingere poſſit, atque horum ope infantem educere. Si itaque balnea & emollientia alia applicata fuere, quando de verſione peragenda cogitavimus dolorumque vis inde nondum remittat, tuncque Laudani liquidi præbium poſt adhibita emollientia præbeat medicus, procul dubio iſtud ad ſpasmos tollendos aptum, efficiet, ut liberior operatoris manui ſit aditus. Ambobus etenim his remediis, tam quæ externe commodum ferunt, quam quæ interne ſedant, junctim exhibitis, iſtud obtinebimus, quod uno vel altero horum neglecto, non omnino attingere licet. Dudum nota pellens opii vis a dolorum ſedatione fortaſſis pendet, quibus ceſſantibus & ſedatis non parum ſpei de felici fœtus extractione eſſe, diximus. Rem allato modo ſi tractamus, naturæ imitatores ſumus, quæ ſi verſionis denegat adminicula, medicaminibus optatum finem tangere allaboramus. Quid quod ex alia ratione opiata adhuc erunt commendanda. Practicorum inter Principes SYDENHAMUS, *opiatum quodvis præſtantiſſimum vocat cardiacum remedium & unicum ferme, quod in rerum natura hactenus eſt repertum* (*a*). Quum itaque multi medicorum ad refocillandam mulierem, laboribus partus defatigatam cardiaca ex ſpirituoſis conflata, non ſatis tuto laudant, cum in finem potius opiata ſecundum judicioſiſſimi medici SYDENHAMI ſententiam commendamus, quæ non ſolum ſpasmos ſedabunt, ſed etiam debilem parturientem, absque ulla timenda noxa, juſto modo exhibita, reficient. Haud injucundum itaque auxilium exinde parturientem & operatorem percipere poſſe, aeque concludere licet.

§. XXIII.

Faſcia ſive laqueus ipſis ſub verſionis moliminibus adminiculum haud rejiciendum affert. Magni vero uſus eſt, ubi pedes fœtus u-

teri

(*a*) *V.* SYDENHAMI *Op. medic. Sect. IV. cap. III.*

teri fundum tangunt. Quando enim manus commode ſatis retentos infantis non poteſt protrahere pedes, in alto conſtitutos, aliaque non reprimenda corporis parte impediat infans, quo minus operator feliciter rem perficere poſſit; laqueo pedes ſtringit, dummodoque alterum pedem aut ambos laqueo adtrahit, circumvolvere poteſt infantem hoc manu pedem trahens, altera reprimens quidquid viam occluſit. Quamquam vero faſcia apte adhibita non plane temnenda, attamen nonnulli ſunt qui omnino laquei opem reſpuunt, quos inter LA MOTTE agmen ducit (*a*). Verum quidem eſt, niſi juſto modo & accurrate pedes infantis faſcia cingat, facillime ob corporis lubricitatem extractionis ſpem laqueum fallere poſſe, quod & LA MOTTIUM movit, ut hujus adminiculi uſum parvi habuerit. Hujus vero viri ſententiæ commode opponere convenit effatum PRAECEPTORIS: *Faſcia in convertendis infantibus ex præcipuis eſt* (*b*). Porro Cl. MITTELHAEUSERUS faſciæ uſum propter pedum muco obſitorum lubricitatem laudat (*c*) quampropter LA MOTTE laqueum rejecit. Non itaque inutile plane erit faſciæ adminiculum in extrahendo fœtu male compoſito.

§. XXIV.

Recenſitis iis, quæ vera verſionum ſunt adjumenta, addenda nonnulla adhuc erunt, quibus parum fortaſſis tribuendum erit in convertendis infantibus inique ſitis. Concuſſiones HIPPOCRATES commendat (*d*) ad naturalem puerculi poſitum reſtituendum, in partu

(*a*) *Trait compl. des accouch. obſ. 259. Reſt.*

(*b*) *Cf.* ROEDERERI *de partu laborioſ. obſ. III. p. 8.*

(*c*) *Lib. cit. Caſ. XXXVII.*

(*d*) *Lib. I. de morb. mulierum Sect. V. p. 182. ed. Foeſ. ut & Lib. de exſectione fœtus.*

tu difficili. Si fortassis concussiones locum habent, eo potissimum tempore, quando velamenta nondum rupta, amniique liquore circumdatus puer, in utero hæret, eæ erunt adhibendæ. Quodsi vero jam effluxere aquæ, fœtu compresso jam a dolorum urgentium vi, inutiles plane imo noxiæ erunt. Quum vero partus difficilis tunc potissimum adparet, quando liquores jam fuere protrusi, integro adhuc non amplius ovo, quis concussiones cum fructu admovere potuerit? Quin si aquæ adhuc adsint, quis, infantis etiam situm difficilem cognoscens, concussionibus efficere poterit, ut justum & ad exitum aptum positum recipiat fœtus? Plane ergo exulent, quæ aut matri, aut fœtui non circumspecte satis adplicata, vim inferunt. Quod vero nocivæ sint concussiones, quodammodo apparet, e casu uteri rupti a Cl. DEISCHIO (*a*) narrato, quum a sinistris dextram versus forti concussione, fœmina parturiens, sese conjecerat.

§. XXV.

Abdominis pressiones ab antiquioribus laudatæ, parum itidem ad infantis situm iniquum emendandum commodi habent, sed non raro

(*a*) *Cf. Cl.* DEISCHII *Abhandlung dass die scharfe instrum. nicht zu vermeiden. Cas. 26. ubi recenset, se secuisse infantem, postquam pes, tentata versione, a corpore ruptus fuerat: propendente brachio discisso, truncum corporis, in duas divisit partes, manu, pedes & abdomen extrahit, his ababsolutis, pectus & caput pariter manu liberare tentavit, quo porro tempore, parturiens a sinistris dextram versus fortiter sese ita projecit, ut ruptus exinde sit uterus. Num vero, hæc uteri ruptura e matris concussione fuerit orta prudentioribus dijudicandum relinquo præcipue quum fœtu plane ferme libera erat matrix.*

raro potius exinde periculum crevit, partibus ab inflammatione tentatis. Duros parturientium dolores, quos ad tollendos omnes interdum nervos incassum operator intendit, magis adhuc pressiones augent, nec adjumentum inde exspectandum, dum adhuc orificii uterini constrictio spasmodica resistit, transitumque negat. Laudant vero abdominis pressionem ad relictum caput expellendum; judiciosissimus enim nitidissimusque veterum scriptor CELSVS vult, ut *caput ad os vulvæ compellatur* (*a*) pressione imi ventris. Quum vero circa relictum caput uterus utplurimum ita contrahitur, ut nullam ab externa pressione caput mutationem situs experiri possit, quin si possit, ex facili tamen detrimentum caperet parturiendo quæ laboravit mulier, neutiquam hæc adminiculi species approbanda, præcipue dum caput, partim a doloribus ipsis hunc ad locum movetur, partim pondere proprio sponte uterinum os tangit. Quodsi vero ea mollitie, quam CELSUS commendat, abdomen non prematur, sed ab imperitis tractetur hominibus, & rusticanis manibus, ultro liquet incommoda & damna augeri. Affert Cl. MITTELHAEUSERUS (*b*) observationem compressi imi ventris gravidæ ab obstetrice inanibus & futilibus rationibus commotæ, nec dubitat, quum difficili postea laborabat mulier partu, causas hujus inique siti infantis ab ea compressione ortas esse. Quod integro adhuc ovo fortassis locum habet; difficili sub partu vero, cunctis apprime pressis non contingit, nihil enim ex ea compressione imi ventris sperandum, quam ut omnia in pejus ruant. Exiguum porro levamen parturientium affert reclinatio, quam HIPPOCRATES commendat (*c*) ad commodum parturientis

(*a*) *De Medicin. Lib. 7. cap. 29.*

(*b*) *Cf. cit. Lib. Caf. XI. annot. IV.*

(*c*) *V. Hippocratic. lib. I. de morb. mulier.*

turientis & operatoris eligenda interdum, nunquam vero fœtui ipsi auxilium affert.

§. XXVI.

Licet magni vero omnino habenda sint versionum molimina, neque facilior in universa chirurgia neque jucundior operatio sit, quam felix eventus plurimarum observationum clariorem reddit, attamen præsto sunt testimonia eorum, qui affirmare contendunt, sectionem infantis in utero materno leviori opera peragendam esse, quam ea operatio, quæ conversione infantum matres & fœtus liberat. Fortassis vero ille felicior, qui secundum Terentianum illud:

- - - *uno digitulo fores nunc aperit fortunatas*,

quam qui istas:

- - - *calcibus sæpe insultabit frustra.*

nec frustra solum, sed infelici potius successu. Huic sententiæ de caute instituenda sectione adprime favet Chirurgiæ principis effatum. Etenim CELSVS de mortuo extrahendo fœtu, inter præcepta quæ dedit, hacce refert (*a*): *Si partus intus emortuus est, nec excidere per se potest, adhibenda curatio est, quæ numerari inter difficillimas potest, nam & summam prudentiam moderationemque desiderat.* Quum vero veteres omnem qui salutis spem pro matre servanda in sectione infantis ponebant, ipsi afferant, sectionem summam & prudentiam & moderationem postulare, majori sane studio eam evitandam putamus, quum exercitatissimus quoque, maxima licet adhibita

(*a*) *Loc. jam cit. Cels. Aureum profecto hujus viri effatum nunquam satis ponderandum.*

ta cautione, lædat interdum dum fecat, matricem; quamvis etiam pro comperto habeamus, infantem effe mortuum, qua de re fallacia ferme figna femper reperta fuere, non feftinanter tamen ad fectionem erit transeundum, fed tentandum potius, num verfio valeat, quæ, fupra relatis cum adminiculis ftipata, rem præter opinionem nonnunquam abfolvit. Ex omnibus itaque allatis in aprico eft, fectionem loco verfionis non effe eligendam, quamquam etiam Cl. MITTELHAEUSERUS (*a*) apertis verbis dicit; verfio bona eft, priusquam vero multum ftudii in eam conferam, & parturienti dolores creem, libentius ego inftrumentis utor, fi fciam infantem effe mortuum. Quis figna vero de morte infantis tutiffima pronunciabit, quem non fugit, omnes fignorum horum fallaciam probare & incertitudinem; pauciffimis, maxima cum cautione attentis, exceptis. Itaque profecto in fententiam Cl. Viri nemo facile tranfibit quem veftigia terrent. Tentanda & in infante mortuo inique fito verfio, quod Cel. DEISCH (*b*) interdum felici cum eventu fecit.

§. XXVII.

Sectionum fautores aliam adhuc fententiam alunt, quæ infirmo pariter nititur fundamento. Afferunt parturienti verfionis molimina effe dolorifica, fectionem infantis mulieris tantopere non profternere. Non autem ita nobis videtur. Verfio exiguo temporis fpatio, utplurimum abfolvitur, fectio plurium poftulat horarum fpatia. Verfionem quidem absque vllo emollientium ufu fi fufcipiat operator, valdopere pudoris finum extendere debet vi interdum adhibita

(*a*) *V. lib. cit. Caf. 9. annot. 2.*

(*b*) *Cf. lib. fup. cit. Caf. XI. & XII.*

hibita non leviori, haud absque dolorifico ob partium sæpius stri-cturam, parturientium sensu: contrectata autem per plures horas genitalia, dum infantem secando extrahit operator, pari dolore afficiuntur; quin majore. Quid enim si singulatim, modo brachium, modo vnam trunci partem, modo alteram, modo dissectum a collo caput, solvo & educo, expectandum, nisi summæ parientis angustiæ? Verum enimvero, nonne major in secando partium irritatio, quam in vertendo? nonne ex irritatione major hic dolor, porroque molestissimus, sensus mulieri. Ea itaque ex causa ad arma confugere non convenit, nisi alia obstacula a medico haud vincenda, id suadeant? Pariter ii injuste agunt, qui infantem in utero hærentem & incertis vitalitatis signis gaudentem, ob periculum matri quod infert, tanquam parricidam esse necandum putant. Ita existimant nonnulli se reperisse, quod pueri in faba. Sed errant ni fallor, errant tota via. Quis enim matrem infanticidii ream morti traderet, quæ ob uteri strangulatum infantem capite e sinu prominentem muliebri suffocavit: pari passu & mater & infans hic ambulant. Nisi aliæ sint causæ, quæ pro matris vita servanda, fœtui non parcent, ea profecto quæ ex culpa parricidii accidit, levioris fortassis esset momenti ad infantem vita privandum.

§. XXVIII.

Rariores casus qui omne manuum auxilium respuunt, flebile sectionis beneficium poscunt. Flebilis hæc rerum facies suadet, ut medicus omnibus incassum adhibitis aliis, denique nonnunquam de sectione cogitare debeat, cum nullo alio in adminiculo spes superfit. Quamque pro versione rite instituenda commendat quisque festinationem, ne nempe ullum temporis perdatur momentum; eam judiciosam cunctationem quisque pariter laudabit; iis in casibus ubi sectionis opera mater servanda erit, nam persæpe desperata & ancipiti in parturitione cunctando medicus restituit rem. Maxima

itaque

itaque cum circumſpectione & ponteratione mortiferum ferrum arripiat operator, *ad quod auxilium tunc demum vi quadam compellitur*, ut verbis Præceptoris utar; (*a*) *quando per plures dies continuata vis dolorum uterum in oſſeam velut capſam induravit, fœtumque cum reliquis genitalibus inflavit.*

§. XXIX.

Coronis loco neceſſariae ſectionis caſus duos tangam, inde ut appareat, quæ requirantur, priusquam verſionis divinum auxilium deſerimus, cruentumque cultellum applicamus. Alter eſt, quem ROEDERERUS recenſet, (*b*) quemque normæ inſtar commendare potero, cujus ſummam breviter delibabo: Amnii primis ſub veris doloribus liquore effluxo, ſimul cum brachio integro quartum usque ad diem cum jam laboraviſſet mulier partu, in auxilium vocant Præceptorem; tumet jam in femoris craſſitiem propendens adauctus humerus. Impreſſus tumor durus, foveam ſervat, frigido illo lividoque. Nihil ad carpum pulſus, vel in palma ab irritatione motus. Putris odor ille ab embryonis morte ſpecificus manum explorantem fœdat. Vagina tumet, riget uterus annuli inſtar circa humerum. Ipſa uteri ſubſtantia rigidiſſima, ut & in altiſſima regione ſupra pelvim locati pedes fœtus ſemel iterataque vice cum maxima Operatoris fatigatione tentatam verſionem impediunt. Ex parte matris quæ viribus adhuc valebat integritatis uteri ſigna aderant, neque de fœtus morte dubitare licebat. Hæc ex citata obſervatione excerpta docere nos poſſunt, quando neceſſario inſtituenda erit ſectio, quandoque ad lugubre auxilium, manus medicas qui adhibet, confugere debet.

Memo-

(*a*) *Cf.* ROEDERER: *de partu laborioſ. p. 14.*

(*b*) *V. lib. cit. de part. labor. Obſ. IV.*

Memorabilem alteram obſervationem, quæ absqne infantis ſectione abſolvi non potuit operatio, narrat Cl. von HOORN (*c*) ubi uterinum orificium ferrei inſtar annuli cinctum brachium tenuit, certiſſimaque mortis ſigna adfuere. Hujusmodi vero caſus ut plurimum evitantur, ſi perita obſtetricantis manus, juſto tempore auxilium ferre poteſt, atque infantem ſimul cum matre præſtantiſſimæ verſionis ſervare adminiculo.

(*c*) *V. cit. auctor. Siphra & Pua in Præfat.*

DIS-

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

PARTU PRÆTERNATURALI, QUEM SINE MATRIS AUT FOETUS SECTIONE ABSOLVERE NON LICET OPERATORI

QUAM

IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AUCTORITATE GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

PRO

DOCTORIS HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS

D. XXVII. NOVEMBRIS. MDCCLV.

PUBLICAE E CATHEDRA DISQUISITIONI EXPONET

A N D R E A S L I N D E M A N N

REVALIA LIVONUS.



§. I.

Antequam homo nascendus in lucem prodeat, graves illum sæpe circumveniunt difficultates. In tanta viarum per quas exitum moliri debet, angustia naturali, nonnunquam fit ut insuper præternaturalis accedat partium coarctatio, vel a conformatione ossium ex quibus pelvis componitur: vel ab accretis rebus præternaturalibus, ut carnibus, callis, cæt. quibus uteri orificium aut vagina vel integre vel magnam partem occluduntur: vel a tumore & inflammatione genitalium: vel a spasmo, quibus naturalia nimis constricta tenentur. In puerpera quoque deficere aliquando solent vires legitimique dolores, quibus partus satis urgeri possit. Fœtus ipse esse potest nimis grandis aut monstrosus: aut perversum obtinere situm, qui permultis modis diversis accidere solet: aut per paragomphósin impactus esse: aut extra uterum per hujus rupturam in abdomen exiisse: aut adeo in tuba Fallopiana, ovarioque formatus fuisse: Acccedunt varii obstetricum errores, quæ omnia ita comparata sunt, ut partum vel difficilem reddant, vel præternaturalem efflagitent

Xxx §. II.

§. II.

Multæ quidem magnæque pariendi moleſtiæ præcaveri poterunt, ſi tranquille omnia agendo, juſtum legitimorum naturæ conatuum ſive dolorum verorum tempus exſpectetur, non autem mulier feſtinanter violenterve ad labores ſuſcipiendos exſtimuletur, antequam veros naturæ motus percipiat. Nam ſi juſto citius opus urgetur, vires a laborante fœmina inutiliter conſumuntur, ut quum poſtea ad tempeſtivum partum enitendum requirantur, deficiant. Si contra ad naturæ molimina attenti præſtolemur, donec orificium uteri deterſum ſit, (*a*) tunc integris adhuc viribus graviores etiam moleſtiæ plerumque feliciter ſuperari poterunt. Quin etiam, ſi priores nixus non ſequitur infans, ſæpe tamen interpoſita ſubinde mora, qua reſpirare viresque recipere queat parturiens, repetitis tandem laboribus propelletur. Quamobrem conſultum ſemper eſt, aliquantisper rem naturæ committere, ſi nihil vehementer urgeat, minime vero confeſtim ad manuum vel inſtrumentorum vim confugere ac properare. Si vero nihilominus remiſſiores fuerint vires, addito per gratius confortans *b*) momento e. g. hauſtu vini Rhenani, multum adjuvari poterunt. At ſi ſpasmo aborto nimium urgeantur conſtringanturve naturalia, lene ſedativum aut opiatum (*c*) opportune datum optimum pellens eſt, quatenus remoram vel obſtaculum partus, ſpas-

(*a*) *Vid.* ROEDERERI *Præceptoris mei Elementa art. obſtetr.* §. *164.*

(*b*) ROEDERER. *Element. artis obſtetr. Cap. XII.* §. *248. n. γ. δ. Cap. XIII.* §. *328.*

(*c*) *Bono conſilio iſta commendant: Anglorum nonnulli, v. g.* FIELDINGOULD. Treatiſe of Midwifry. P. I. p. 38. RICHART MEAD Monita medica. Cap. XIX. S. v. p. m. 142. Sæpius etiam felici cum ſucceſſu in lentiore partu opiatis ſe uſum eſſe memoravit ROEDERER.

ſpaſmum ſcilicet tollit. Frequenter etiam accidit, ut obſtetrices rudiori tractatione parturientes magis affligant, & difficultatem enitendi inferant, dum violenta manuum agitatione genitalia diducunt, & gravidum ventrem trudunt premuntve, quo ejiciatur fœtus, quibus tamen rudioribus moliminibus partum magis impediunt retardantque, genitalibus inflammationem inducendo, fœtumque, præſertim liquore amnii nondum effuſo, in perverſum ſitum cogendo, ac robur frangendo ad partum adeo neceſſarium.

§. III.

Licet vero hæc aliave felicis partus impedimenta haud admiſſa fuerint, ea contra quæ commodiorem exitum parare valeant recte adminiſtrata ſint, nihilo tamen ſecius frequentes incidunt caſus, ubi nec virtute naturæ ac medicaminum ope partus elidi poteſt, ſed manuum auxiliatricum operæ utique deſiderantur: velut ſi fœtus perverſe ſitus ſit: ſi hæmorrhagia uteri ſub initium partus contingat; & quæ ſunt reliqua. Si vero manuum auxilio uti neceſſe eſt, a ferramentis tamen machinisve, quoad ſufficiunt manus, abſtinendum. Nam & duriora ſunt ejusmodi inſtrumenta, ut partes perfacile poſſint lædere, & manus, ſenſu quippe præditæ, commodasque aggrediendi, tractandi, ducendique vias prætentantes, mirifice præſtant.

§. IV.

Neque tamen ſperari poterit, his omnibus rite peractis nunquam obſtacula ſuperiora partum adeo remorari, ut & infans & mater de vita periclitentur. E contrario ſæpe ſit, ut fœtus excludi plane nequeat, & utrisque moriendi neceſſitas incumbat, niſi vel cum matris ſummo periculo fœtus exſecetur, vel cum morte fœtus vita matris conſervetur. Et has quidem partus præternaturalis ſpecies pertractare mihi animus eſt, in quibus neceſſitas exigit, ut ad partum abſolvendum aut ſectio cæſarea inſtituatur, aut infanti vis inferatur.

§. V.

Ex his casibus primo loco nominandus is videtur, ubi superior pelvis hiatus sive apertura nimis angusta est. Nam licet naturæ consentaneum sit, ut justa inter matrem & fœtum servetur proportio, proptereaque ipsa repugnare videatur natura, quo minus ejusmodi vitia pelvis, quæ in nimia pro fœtu transmittendo angustia consistunt, accidant; negari tamen non potest, dari casus, ubi ob malam conformationem vel morbum antegressum, conjugata aperturæ superioris, id est, distantia ab osse pubis ad os sacrum adeo parva fuerit, ut sub ipsum partum, caput aperturam superiorem non intrare, neque manus operatoris in uterum dimitti potuerit (*d*). In ejusmodi casu per explorationem facile dignoscendo, si fœtus vel optime situs fuerit, debitaque partium proportione gaudeat; exclusionem per viam naturalem frustra exspectabimus. Cum enim neque manuum neque instrumentorum usus hic sit, unice in sectione cæsarea, fætu vel vivo vel mortuo, auxilium quærendum esse facile patet. Quod remedium, quamquam truculentum & crudele videatur, tamen exemplis compertum est, persæpe feliciter cessisse (*e*), adeo ut in una muliere plus simplici vice institutum fuerit (*f*). In hoc igitur casu, quum

(*d*) SAVIARDI *Observat. 114.* VOELTER *in arte obstetr. pag. 112. Memoires de l' Academie de Chirurgie T. I. p. 646.* MAURICEAU *Observ. sur la Grossesse Observ. 26.*

(*e*) *Vid. Franc.* ROSSETI *Traité de l'Hysterotomo tokie ou Enfantement Cæsarien Paris 1551. 8. Laurent.* HEISTER. *in Institut. Chirurg. latinis Part. II. Sect. V. Cap. CXIII. & plurimi apud ipsum allegati. In Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie T. I. p. 623. - 650. & T. II. pag. 308. 334.*

(*f*) *Ter apud* ROSSET. *alleg. libro. Part. II. Observ. 2. Sexies, ibid. Observ. I. Septies*, SONNIUS *Medicus apud Henricum van Roonhuysen in Observationibus Chirurgicis de morb. mulierum*

quum mater & infans adhuc vivus probabiliter servari possint, aliter autem utrique pereundum sit, ratio suadet, ut talis sectio a perito artifice fiat, modo mulier ejus sit roboris, ut sectionem sustinere salva vita posse videatur. Etenim quum ad vitam hominum conservandam, quoad fieri potest, Medicus inpr. tanquam sanitatis, valetudinis ac vitæ custos & curator obstrictus sit: hoc autem utrique, tam puerperæ quam fœtui, per hysterotomiam præstare queat; facile patet, non sine officii sui prætermissione, ab hac curandi via abstinere posse medicum. Neque obstat, quod tantum probabilis haberi possit conjectura, vitam servatum iri. Nam licet verisimile modo sit, vitam servatum iri. Nam licet verisimile modo sit, vitam fore superstitem; tamen hæc certe utriusque morti erit præferenda.

§. VI.

Possunt vero pelvi licet optime constituta, tamen genitalia a caussis præternaturalibus ita esse affecta, ut ad fœtum transmittendum dilatari non possint, si orificium uteri, ab inflammatione aut exulceratione prægressa, adeo scirrhosum vel callosum (*g*) redditum fuerit, ut neque a dolorum vi, neque ab arte eo usque diduci possit, ut caput infantis vel manum operatoris transmittat. Causa impedimenti per explorationem dignoscitur, an vero hic partus iis adnumerandus sit, qui sectionem cæsaream postulant, disceptatur. Sunt, qui dissectionem potius & disruptionem orificii uteri, sectioni cæsareæ præferunt, (*h*) & rationes, a vulneribus uteri & effusione sanguinis

lierum Cap. I. Quinquies in uxore chirurgi Parisiensis apud Thom. BARTHOLINUM *Historiarum Anatnm. Cent. II. Hist. VIII. p. 183.*

(*g*) *in Medical Essays of Edinburgh. Volum. III. Obser 19, p. 315.*

(*h*) HEISTERUS *& Auctores ab eo citati*

guinis in ventrem defumtas, afferunt, cur cæfaream fectionem hic rejiciendam exiftiment. Sed præterquam, quod ab incifionibus minus profundis hic parum auxilii exfpectandum fit, quia foramine non fatis amplo reddito, fœtus per ordinariam viam prodire aut manibus extrahi nequit; fic profundiores plagæ, accedentibus doloribus valentioribus, aut vi externa, ad extrahendum fœtum neceffaria, in veras orificii uterini rupturas mutabuntur; quo in cafu, periculum ab effufione fanguinis in ventrem majus erit, quum commoda apertura pro eluendo fanguine non adfit. Præftat igitur hic, fectionem cæfaream præferre incifionibus oris uteri, tum matri, tum fœtui adhuc vivo, magis periculofis.

§. VII.

Minime autem in ea fum fententia, ut propter impedimenta quæcunque in genitalibus, quæ fine magno periculo tolli removerique poffunt, uti fi parietes vaginæ aut orificium ejus, aut labia vulvæ coalita funt (*i*), fectionem ventris inftituere fuadeam, ut hic potius feparationem providam, quam primum id fieri poffit, five ante partum, five fub ipfum partum admittenda velim.

§. VIII.

Cafum rariffimum pro partu cæfareo fiftit uterus in hernia fic adhærefcens, ut nulla ratione reduci in locum fuum naturalem poffit: cujusmodi exemplum refert SENNERTUS (*k*), ubi in gravida muliere, poft acceptum gravem in finiftro inguine ictum, tumor eo loco apparuit, qui tantum abeft, ut reprimi potuerit, ut potius in dies magis magisque creverit, adeo ut uterus fitum fere horizontalem obtinuerit. Cum igitur his fub conditionibus, dolores partem fœtus præviam, non in pelvim fed in lumbos impellant, neque in tanta uteri obliquitate manuum vel inftrumentorum axilium effe poffit,

(*i*) *Conferatur* BECKER *in pædioctonia inculpata.* §. 30. *feq.*
(*k*) *Inftitut. pract. Med. Libr. IV. part. I. Sect. II. Cap. 17.*

ſit; perſpicuum eſt, non dari aliam viam, parturientem ab onere liberandi, quam partum cæſareum. At ſi uterus, in herniam prolapſus, in ſedem ſuam ordinariam reduci poteſt, ſicut in obſervatione a Ruyſchio (*l*) propoſita contigit; ſectionem cæſaream, minime tentandam exiſtimo; ſed partum per naturalem viam excludendum, niſi forte hic alia obſtiterint impedimenta graviora.

§. IX.

Sunt qui his in caſibus, ubi fœtus in utero hærens, non niſi chirurgia cæſarea inſtituta in lucem proferri poteſt, ſectionem diſſuadentes (*m*), negotium naturæ committi malunt, perſuaſi, eam per inflammationem aut abſceſſum viam indicaturam, unde fœtus ſalva matre eximi poſſit. Sed quum hoc naturæ beneficium valde rarum & anceps ſit, & pleræque ab ipſis partus conatibus conficiantur, tam dubio eventui nihil committendum eſſe exiſtimo. Alii ut MAURICEAU (*n*), fœtum ſemper manibus aut inſtrumentis per vias naturales extrahere volunt, quod vero nonnunquam impoſſibile eſſe, jam expoſitum eſt.

§. X.

Reſtat, ut eas partus præternaturalis ſpecies, in quibus ob fœtum extra uterum hærentem venter incidendus eſt, enumeremus. Ex his frequentior eſt uterus ſub ipſis partus moliminibus ruptus, cujus cauſa potior in ſitu fœtus iniquo poſita eſſe videtur. Duplex caſus exiſtere poteſt: vel enim integer fœtus per uteri rupturam in ventrem delabitur, vel tantum aliqua pars ejus. Si poſterior exſtiterit, propter partem infantis in genitalibus adhuc reſtitantem, diagnoſis diffi-

(*l*) *adverſ. dec. 2. p. 23.*

(*m*) *Vid.* SOLING. *in Operat. Chirurg. cap. de ſect. cæſar.* GUILLEMEAU *in art. obſtetr. cap de partu cæſar.* MAURICEAU *libr. de eadem arte Tom. II. cap. 32.*

(*n*) *Libr. cit. eod. cap.*

difficilior eſt, & nonnunquam non niſi probabiliter cognoſci poteſt. Si hic nihil impediat, quo minus manus in uterum deferri, aut forceps applicari poſſit, pro ratione ſitus, infans aut pedibus aut capite, manu vel forcipe prehendendus atque educendus erit. Si vero integer fœtus extra uterum delapſus fuerit, quod inprimis ex tumore abdominis mutato & exploratione cognoſcimus, aliud remedium, ſive matrem, ſive fœtum, ſive utrumque ſervare velimus, non ſuppetit quam ſectio cæſarea. Uterus enim onere ſuo liberatus ſtatim ſe contrahit, omnem viam ad ventrem occludit, fœtus exſtinguitur, computreſcit gangræna matricem fœdat, nec mater cum cruore effuſo, matrice & fœtu corruptis vivere poteſt. Neque enim hic cauſa eſt, cur a rarioribus naturæ beneficiis utpote exſiccatione vel induratione, aliquid exſpectemus.

§. XI.

Denique ſectionem cæſaream poſtulant conceptus extra matricem facti, uti in tuba fallopiana, in ovario, in ventre (*o*). Sæpe hoc ſub caſu dubium eſt, tum de graviditate, tum de partus tempore judicium, quum quædam graviditatis ſigna adſint, etſi haut mutatum orificium uteri maneat. Niſi igitur ex certiſſimo infantis motu, a perito facile dignoſcendo: aut ipſo membrorum fœtus per integumenta tactu, ejuſmodi conceptum adeſſe cognoverimus, nihil temere moliendum eſt, præſertim quum nonnulli, inpr. rariores morbi, nominatim hydrops ovarii, (*p*) aliæve hydropis ſaccati ſpecies

(*o*) *Hiſtorias collegit* MANGETUS *in theatro anatomico T. II. p. 140. ſeq.* VIEUSSEN. *in diſſert. de ſtructura & uſu uteri.* STRAUSSIUS *Hiſtoria fœtus Muſſipontani.* SAVIARD. *Obſerv. chirurg. 60. Ill.* PHIL. ADOLPH. BOEHMERI *Obſervationum anatomicarum rariorum faſciculus; notabilia circa uterum humanum continens. Halæ 1752. fol.*

(*p*) *Confer. Juſt. Theodor.* SCHORKOPF *diſſert. de hydrop. ovarii*

cies hunc casum mentiri possint. Si vero palam fuerit, fœtum maturum adesse, crudele foret, ei exitum per incisionem exterioris ventris negare, præsertim quum id jam non ita periculosum matri sit, quam si simul uterus quoque incidendus est. Etsi enim fœtum membranis suis inclusum indurescere, vitamque matris cum infante intus remanente persistere posse, multorum exemplorum documentis constiterit; attamen non sine maximo valetudinis detrimento, sublataque futuræ prolis spe, in ventre circumgestari potest. Accidere etiam potest, ut infans licet in duratus, perruptis velamentis in ventrem effundatur, quo casu haut dubie inducta corruptione mortem etiam matri creaturus esset. Quod quum utique semper metuendum est, non minus ad hoc cavendum, quam vivum servandum fructum, & maternæ valetudinis noxas avertendas, profecto præstabit, incisionem corporis hic minus periculosam instituere, quam ob dubiam superstitis, attamen miseræ vitæ matris spem, eandem omittere. Licet contrarium videatur defendere SIMONIUS, in Memoires de l'Academie Royale de Chirurgie T. II. pag. 324. seq.

§ XII.

Enumeratis iis partus præternaturalis speciebus in quibus sectio cæsarea instituenda est, ad eas transire liceat, ubi necessitas exigit, ut fœtui vis inferatur. Ex his præcipua est paragomphosis capitis, sive ea ejus inter pelvis ossa incuneatio, ut quasi impactum & interceptum hæreat. Causæ ad pelvim vitiosam, caput nimis magnum, hydrocephalum, capitis iniquum situm redeunt.

§. XIII.

Maligna est hæc partus species, quum ab initio ne conjectura quidem mali eventus adsit. Venter in nonnullis citius, in nonnullis serius subsidet, orificium uteri diducitur, detergitur, vesica cum capite

varii muliebris. Adami BRENDELII *dissert. de hydrope ovariorum muliebrium.*

capite prominet, omnia felicem successum pollicentur, & nihilominus caput inter validissimos labores subsistit. Accedunt symptomata matri periculosissima, ut genitalium tumor, inflammatio: pulsus fit celer debilis: respiratio anhela, spastica sonora: deliria obrepunt: sudores frigidi, particulares, miliiformes, circa superiora & extrema oriuntur: accedunt tremores convulsorii, singultus: abdomen tympanitico modo inflatur, & inter hæc mors obrepit. Neque pro pro fœtu, si vivus fuerit, felicior eventus sperari potest, qui plerumque ob caput ultra modum compressum, & sanguinem in ventriculos cerebri sæpius effusum, apoplectico modo moritur (*q*).

§. XIV.

Si caput nimis magnum, vel pelvis vitiosa, angustior, (*r*) incuneationem hanc producant, & dolores vel vehementissimi capiti eo usque comprimendo non sufficiant, ut apertura superiori minor fiat, (*s*) a natura nihil exspectandum esse apparet. Nisi igitur artis auxilium, quod in imminuenda capitis mole consistit, accedat, inter irrita partus conanima, tum mater, tum fætus certissime morientur. Cum vero sub ipsum partum valde difficile determinatu sit, an naturæ artisve vires comprimendo in arctius volumen capiti pares sint, magna circumspectione opus est, ne inquieta festinatione fœtui præter necessitatem vim inferamus. Consultius igitur erit, antequam ad extrema progrediamur, parienti horæ unius vel alterius moram concedere, & interea venæsectionem spasmos multum lavaturam instituere, genitalibus cataplasmata emollientia imponere, quin in ipsam vaginam & rectum intestinum decocta emollientia injicere, & pro circumstantiarum conditione lene anodynum præbere. Si hæc omnia, inter exspectatum naturæ auxilium, & irritam forci-

pis

(*q*) *Cf.* ROEDERER *observ. med. de suffocatis satura §. 13. & 14.*
(*r*) *vid. Element. art. obstetr.* ROEDERERI *§. 395. seq.*
(*s*) *in eod. libro. §. 406.*

pis applicationem nihil profecerint, puerpera ultra biduum triduumve jam laboraverit, & symptomata (§. præcedenti) descripta, jam adfuerint, ne momentum quidem perdendum est, quin ad aperiendum caput fœtus, verosimile tunc mortui, procedatur, & cerebrum eximatur, ut tum caput forcipe prehendi & extrahi possit (*t*).

§. XV.

Si vero capitis moles a natura vel arte superari potest, partus plerumque inter cautiones §. præcedenti descriptas, manuum auxiliatricum opera & forcipis applicatione absolvi poterit, (*u*) cujus in casu pejori nullus usus fuerat, quum in tantis angustiis inter caput & parietes vaginæ introduci non possit (*x*).

§. XVI.

Si capitis nimia moles ob hydrocephalum, ex tumore molli cognoscendum, incuneationem hanc effecerit, & dolores viguerint, nonnunquam hic partus naturæ committi potest, cum in tanta ossium mollitie, facilior capitis acuminatio & compressio exspectari possit. Si vero neque naturæ vires, neque forcipis pressio aliquid effecerint, signaque (§. 13.) descripta adsint, ad capitis imminutionem confugiendum est (*y*)

§. XVII.

Etsi vero pelvis & fœtus caput optimam servent proportionem, nonnunquam tamen fit, ut ex situ capitis iniquo, cum variis etiam uteri obliqui speciebus conjuncto, vera paragomphosis oriatur, (*z*) veluti

(*t*) *Conf.* ROEDERER *in libro citat. §. 414. seq.*
(*u*) *in libro cit. §. 412.*
(*x*) *in libro cit. §. 416. y*).
(*y*) *libr. citat. §. 410.*
(*z*) *Conf. Præcep. in libr. cit. cap. 17. sect. 2. & 3.*

veluti si facies alterutrum os ischii respiciat, si eadem in genitalibus prævia sit, si vertex alterutri ossi ilium occurrat, & quæ sunt reliqua. Quod si hujus modi casus inciderint, jamque sub initium partus operator advenerit; facilior medela erit, & pro diversitate situs iniqui, vel caput ossi alicubi inhærens solvere, vel versionem instituere, vel forcipem applicare poterit. Si vero jam longum a primis doloribus intervallum intercesserit, caput pelvi impactum loco moveri non possit, neque manus in uterum deferri queat, & forcipis applicatio vel plane non succedat, vel nihil efficiat, inter limites (§. 13.) descriptos caput imminuendum erit *(a)*.

§. XVIII.

Alia est partus præternaturalis species, quæ ob os sacrum & coccygis nimis ad anteriora urgens, *(b)* nonnunquam idem auxilii genus postulat. In hac enim etsi apertura superior pelvis bene conformata sit, & capiti liberiorem transitum concedat, ad inferiorem tamen aperturam immobile subsistit. Si depressio ossis coccygis, omniaque artificia pro dilatando externo adhibita *(c)*, spatium tam amplum reddere non possint, ut caput educi queat, in perforatorio, sub limitibus (§. 13.) descriptis, unica spes est.

§. XIX.

Si sub his partus speciebus convulsiones matrem prehenderint, remediaque causis cognitis opposita, nihil proficerint; eo minus dubitandum erit, quin per capitis imminutionem partus absolvatur, *(d)* quum satis constet, parturientem convulsionibus non cessantibus, certo in mortem esse ruituram, nisi infans quantocyus excutiatur.

§. XX.

(*a*) *loc. cit.*
(*b*) *libr. cit. §. 494.*
(*c*) *ibid. §. 492. seq.*
(*d*) *libr. cit.* §. *699. seq.*

§. XX.

Si fœtu pedibus educto, vel ob nimiam vim ſub extractione adhibitam, vel ob putredinem, caput a corpore avulſum in genitalibus remanſerit, moleſta plerumque ejus excuſſio eſt: Quin ſi tanta ejus moles fuerit, ut omnia artificia, pro extrahendo capite adhibenda eludat, perforatorium adhibendum (*e*) cerebroque effuſo caput extrahendum erit.

§. XXI.

Fœtus monſtroſi variæ ſpecies e. c. bicipitis, bicorporei cæt., propter nimiam molem partum reddere ſolent difficillimum, quin ita impeditum, ut omnino totus embryo prodire nequeat (*f*). Quandocunque igitur ejusmodi monſtrum adeſſe cognoverimus, neceſſe erit, ut violentis tractetur manibus & inſtrumentis, quibus vel cavitates majores aperiantur, quo corpus comprimi queat, vel membra quædam præcidantur; ſive vivat adhuc monſtrum, mater autem in mortis periculo verſetur, ſive mortuum ſit.

§. XXII.

Abdominis fœtus hydrops (*g*), vel quicquid ſit tumoris (*h*) pariter obſtaculo eſſe poteſt, quo minus in lucem edi queat. Ab initio quidem, ſi caput in partu prævium fuerit, dubium eſt, utrum obſtaculum humeris inique ſitis vel brachiis dorſo decurſatim incumbentibus, (*i*) an ab impedimento quodam in abdomine repetendum ſit. Quamprimum vero brachia ſoluta ſunt, cauſa manu in uterum demiſſa facile detegitur. Sæpe quidem tale tumoris obſtaculum neque tantum neque ita pertinax eſt, quin agitata corpuſculi mole, aqua eatenus diſſipari poſſit, quatenus ad transmittendum fœtum

(*e*) *libr. cit. p. 315. ſeq.*

(*f*) *Vid. Præcept. Elementa art. obſtet. §. 558.*

(*g*) *Conf. Acta Edinburg. T. 5. No. 37. p. m. 359. ubi fœtus ad ilia usque excluſus, ob tumorem cyſticum ex corpore ortum ulterius extrahi non potuit.*

(*i*) *ibid. §. 553.*

fœtum ſufficit. At ſi contigerit, ut moles aquæ major ſit, quam quæ diſſipari poſſit; non poterit abſtineri, quin fœtui vis inferatur, & intruſſo ferramento triquetro v. g. cannulato (Trois quarts) majori, aqua educatur.

§. XXIII.

Si fœtus in transverſum ſitus ſit, & brachium alterutrum propendeat, verſio ut plurimum inſtitui, & partus fœtu pedibus extracto abſolvi poteſt. Nonnunquam tamen id plane impoſſibile redditur, ſi videlicet omnis liquoris amnii copia jam dudum effluxerit, humerusque adeo in pelvim intruſus, & ab orificio uteri conſtrictus teneatur, ut ne digitus quidem, multo minus manus, in uterum penetrare poſſit (*k*). Si hoc in caſu per medicamenta eo pervenire non liceat, ut ſtrictura uteri laxetur, pedesque prehendi poſſint; inter obrepentia iſta ſymptomata, (§. 13.) unice in violenta brachii ſolutione & diſſectione fœtus auxilium quærendum erit (*l*).

§. XXIV.

Quæſtio moveri poſſit, annon in his partus præternaturalis ſpeciebus ſectio cæſarea præferenda ſit? In paragomphoſi capitis locum habere non videtur, quum ab initio omnia ut in partu naturali fiant, & caput nimis magnum vel pelvim vitioſam adeſſe, dignoſci non poſſit; poſtea vero a partus doloribus caput ita incuneatum ſit, ut, licet fœtus ſervandi gratia ſectio cæſarea inſtitueretur, infans tamen, ob ſummam violentiam, quæ capiti per ventrem extrahendo impendi deberet, una cum matre conficeretur: quale exemplum in VATERI Diſſert. de partu cæſareo occurrit, ubi ſectione in matre mortua inſtituta, fœtus adeo incuneatus fuit, ut caput nonniſi uncis applicatis per ventrem extrahi potuerit.

§. XXV.

Si proptrer hydrocephalum infantis, & inde natam nimiam capitis molem, partus fieri plane nequeat, pariter minus conſultum videtur, ad cæſaream ſectionem confugere, quo ſic fœtus vivus protraha-

(*k*) *Cf. von* HOORNII *Siphra & Pua in Præf. Præcept. Elem. pag. 299.*

(*l*) *vid. loca citata.*

trahatur. Satis enim conſtat, infantes ejusmodi hydrocephalo affe-ctos, etiamſi lucem vivi aſpexerint, tamen neque a morbo ſuo ſanari poſſe, & tantum non ſemper brevi intervallo vitæ ſcenam iterum claudere. Quum vero hyſterotomia periculoſæ ſit plenum opus aleæ, pro vita & valetudine matris, minus decebit, parientem in tantum conjicere diſcrimen, quo fœtus morboſus in vitam, brevi iterum amittendam, evocetur: ſed hunc potius æquum erit violentius tractare, quo per ordinariam viam ejici, materque liberari queat.

§. XXVI.

Porro quæri poteſt, num eo in caſu, ubi os ſacrum cum oſſe coccygis nimis ad anteriora vergit, hyſterotomiam celebrare expediat? Si aliquo in caſu certe in hoc locum habere videtur ſectio cæſarea. Cum enim pelvis apertura ſuperior recte ſe habeat, & impedimentum non niſi in inferiori exiſtat, neque caput incuneatum ſit; maxima ſpes eſt fore, ut infans vivus ac vegetus ex aperto ventre protrahatur. Si itaque fœtus vitæ certa fuerint indicia, nulla mala ſigna adſint, & mater cum proximis adſentiatur, ſine mora ſectioni ſe accingere oportebit, antequam puerpera longioribus laboribus nimium affligatur: quo ſic & infans ſervetur, nec mater in gravius diſcrimen veniat.

§. XXVII.

Ob monſtroſum fœtum, qui per naturalem viam vivus educi nequit, operationem hyſterotomiæ facere, mea quidem ſententia non convenit. Præterquam enim, quod ejusmodi monſtra ut plurimum vita parum durabili gaudent, accedit etiam hoc, quod ſi forte ſpiritum trahere perſeverent, tamen & ſibimet ipſis & reliquis mortalibus moleſtias & ægritudines creant, parum autem, non dicam nihil commodi ſocietati hominum præſtare valent. Qua propter nollem in eorum gratiam ventrem uterumque matris reſerare, atque hanc, difficili dubiaque chirurgia in vitæ aut valetudinis periculum conjicere. Matris enim vita & valetudo certa vel ſaltem probabilis, ſine dubio potiore loco habenda eſt, quam incerta vel adeo ne veriſimilis quidem vita monſtri. Quamobrem *Roonhuyſium* recte redarguit *Heiſterus* (m) partum cæſareum etiam pro monſtro ſuadentem.

§. XXVIII.

(m) *Inſtit. Chirurg. Major. P. II. ſect. 5. cap. 113. §. 16.*

§. XXVIII.

Si fœtum hydrops ascites prehenderit, impediatque, quo minus in lucem edi possit, neminem credo fore, qui sectionem abdominis instituere suadeat, cum infans, sive capite sive pedibus præviis, jam ad abdomen usque exclusus sit, antequam hoc impedimentum dignosci possit; idque mali a putredine potissimum mortui fœtus oriatur (*n*).

§. XXIX.

Ob brachium prævium & incuneatum sectionem cæsaream instituere, mea quidem sententia valde anceps est. Cum enim non nisi longo ab initiis partus intervallo hæc incuneatio oriatur; præterquam quod fœtus probabiliter mortuus est, matris etiam vires longis pariendi laboribus dejectæ, huic operationi non sufficient. Præstat igitur sectionem fœtus matris sectioni præferre.

§. XXX.

Ex iis quæ adhuc disputata sunt liquet, nostris temporibus, ubi ars obstetricia magis exculta est, & leniora auxiliorum genera inventa sunt, non quidem necesse esse, ut sectio cæsarea (*o*) vel embryotomia (*p*) tam sæpe instituatur quam veteres fecerunt, & inter recentiores Clarissimo *Mittelhäuser* (*q*) usu venit. Attamen nonnunquam incidere posse casus, ubi vel mater parturiens servari nequeat, nisi fœtu violenter tractato, vel uterque pereat necesse sit, nisi infans per apertum parientis ventrem educatur.

(*n*) *Field.* OULD. *Treat. of Midwifry. P. III. p. 183.*

(*o*) *Hoc utique ex collata hujus operationis frequentia superioris & nostri ævi ultro liquet. Conferantur autores supra laudati.*

(*p*) *Perlegenda sunt scripta veterum & cum usu moderno comparanda, ad convincendos nos de ista veritate. Exempli loco Hippocrates sit, quem plerique secuti sunt. Sectionem fœtus describit in Lib. de exsectione fœtus & morb. muliebr. L. I. n. 96.*

(*q*) *Practische Abhandlung. von Accouchiren. Leipz. 1754.*



INDEX.

A.

B.

C.

D.

E.

Expe-

INDEX.

H.

I.

Litho-

INDEX.

L.

M.

N.

Nævo-

R.

S.

)()(qualis

Vagina

V.



ERRA-

ERRATA.

pag.	*lin.*	*loco.*	*lege.*
34	1	MECICA	MEDICA.
73	10	diſtinquendum	diſtinguendum
80	penult.	tumpuntur	rumpuntur
82	2	extremisatibus	extremitatibus
85	6	tranſi	tranſire
108	3	diſſertationes	diſſertationis
ibid.	11	therebinthinæ	terebinthinæ
109	15	therebint inæ	terebinthinæ
ibid.	21	demonſtratam	demonſtratum
110	11	ia	in
ibid.	22	infumpunt	infundunt
ibid.	25	remoſos	remotos
ibid.	26	therebinthinæ	terebinthinæ
ibid.	27	placentæ	placenta
ibid.	28	arteriorum	arteriarum
ibid.	-	perfeciens	perficiens
ibid.	29	maſſulus	maſſulas
ibid.	-	inuterum	in uterum
112	30	In	Id
ibid.	31	principiorom	principiorum
124	24	embryones	embryonis
126	20	floreaut	floreant.
128	5	oleas	aleas
135	18	latcant	lateant
140	23	ffexum	flexum
147	ult.	aiis	aliis
157	6	Tenujus	Tenuius
159	ult.	n orbo	morbo
163	7	humcros	humeros
172	3	nyctimeron	nychthemeron
174	2	nyctimeron	nychthemeron
181	2	abdomcn	abdomen
187	23	corolla	corona
188	16	clebantur	elabantur
192	4	humani	humano
200	12	nyctimeron	nychthemeron
213	11	tenujus	tenuius
237	3	deſicit	deficit
ibid.	7	ferc	fere

238

pag.	*lin.*	*loco.*	*leg.*
238	7	ſymtomate	ſymptomate
243	17	tentum	lentum
263	4	coalcrunt	coaluerunt
264	1	Cellulorum	Cellularum
286	16	propingua	propinqua
303	19	aequae	æque
306	26	medulæ	medullæ
312	9	his	bis
329	7	ſenſum	ſenſim
330	6	ſenſum	ſenſim
334	8	certam	certum
341	12	factæ	farctæ
349	27	reliqniſque	reliquiſque
352	11	jejuvi	ieiuni
ibid.	16	Stromanum	S romanum
ibid.	18	tagit	tangit
367	23	pediſſeque	pediſſequæ
376	27	auguſtarum	anguſtarum
388	12	piathematibus	pathematibus
ibid.	25	ab imprægnatione diiſſe	imprægnatione rediiſſe.
394	6	poſt verbum *liquoris* adde: remaneat: de quo argumento recte iudicat	
402	3	poſt verbum *ingenium* adde: &	
410	9	menſtruæ	menſtrua
ibid.	17	ejusdam	cuiusdam
412	18	ferum	ſerum
418	17	propullaque	propulſaque
ibid.	20	infolitam	inſolitam
ibid.	23	reſragari	refragari
419	9	ſerro	ferro
ibid.	--	poſt verbum *munitas* deleatur:	farroque munitas.
ibid.	12	ſucuſſu	ſucceſſu
420	4	ſenſum	ſenſim
ibid.	-	exemtit	exemtis
ibid.	11	phatmoco	pharmaco
ibid.	26	mauibus	manibus
ibid.	27	declinis	declinis
421	12	fœni grævi	fœni græci
ibid.	20	protrurſos	protruſos
ibid.	22	çoxas	coxas
ibid.	23	alciores	altiores

pag.	lin.	loco.	lege.
ibid.	24	bi	hi
ibid.	25	alteriores	altiores
ibid.	26	retrurſus	retruſus
421	31	Qnicunque	Quicunque
ibid.	--	focus	fœtus
422	8	deſidere	deſidere
ibid.	13	ſcapellum	ſcalpellum
423	4	veneſectione	venæſectione
ibid.	22	veſrito	vertito
ibid.	23	Scapellum	Scalpellum
424	11	Doctore;	Doctores
428	28	inter verb. *pituita* & *alba* deleatur a.	
429	17	ipſa	ipſa
430	1	tenujor	tenuior
ibid.	19	g-aviditatis	graviditatis
432	16	examinare	examinare
434	21	exurgit	exſurgit
ibid.	23	dubibemus	dubitemus
435	10	poſt verb. *Neque* deleatur *cum*	
ibid.	16	inielligere	intelligere
436	ult.	putror	putor
437	4	hæres	hæret
ibid.	6	fœtnſque	fœtuſque
444	9	deffcientem	deficientem
447	10	ſubtiltſſimum	ſubtiliſſimum
450	16	poteſſimum	potiſſimum
451	8	proſciptum ſit	proſcriptum ſit
ibid.	19	negocium	negotium
452	20	ſupetare	ſuperare
455	15	maſculos	muſculos
456	21	puiſus	pulſus
457	15	volude	volupe
459	7	Iale	tale
467	10	ſyncopa	ſyncope
ibid.	19	apopoplexia	apoplexia
468	9	quæ	quo
470	11	utrum	uterum
471	9	ſpacium	ſpatium
473	18	deleatur *per*	
482	penult.	exoptantus	exoptandus
483	6	ſemora	femora

pag.	lin.	loco.	pag.
ibid.	8	horaruui	horarum
ibid.	9	tantem	tandem
484	5	paccatis	pacatis
486	13	œſtu	æſtu
ibid.	25	Phyſico-Medicorum	Phyſico-Medicarum
493	9	obſervatlone	obſervatione
494	16	Satis	ſatis
495	penult.	veteras	veteres
ibid.	--	multœ	multos
496	13	ſcriptlis	ſcriptis
497	22	Nummam	Numnam
500	1	Luciana	Lucina
ibid.	2	ſerat	ferat
ibid.	12	ruont	ruant
ibid.	17	quipem	quidem
ibid.	23	attendo	attento
501	2	dominatione	denominatione
ibid.	18 deleatur:	*neque ſiniſtrum euentum*	
ibid.	23	fiquidem	ſiquidem
502	9	labotantes	laborantes
ibid.	12	lanitate	laniatæ
503	19	adducandis	adducendis
505	11	mauui	manui
506	10	coxigis	coccygis
509	20	braccium	brachium
515	2	finem	finem
516	26	ſaluti	ſoluti
519	ult.	puerculi	pueruli
522	16	hacce	hæcce
523	10	eſ-	eſſe
525	1	ponteratione	ponderatione
529	9	pnerpera	puerpera
532	14	fætu	fœtu
536	17	haut	haud
537	10	haut	haud
538	22	lauaturam	levaturam
541	10	Quandocunque	Quando.

* * *